

DE CAPACITATE MULIERIS EXCISAE ET DE IMPOTENTIA VIRI VASECTOMIAM DUPLICEM PASSI AD MATRIMONIUM VALIDE CONTRAHENDUM

(AD LUCEM DOCUMENTORUM S. SEDIS RECENTIORUM)

SYNOPSIS.—I. PRAENOTANDA: *Vasectomia duplex* eiusque effectus.—*Castratio* eiusque effectus.—*Excisio feminae* eiusque effectus.

II. STATUS QUAESTIONIS: Non agitur de *liceitate* vasectomiae et operationis porrensis; agitur de *naturali capacitate* vasectomiati et mulieris excisae ad matrimonium contrahendum.

III. MULIER EXCISA NON EST IMPOTENS. Probatum:

- 1) *Ex magisterio ecclesiastico* (resolutiones S. Officii; responsum S. C. de Sacramentis; iurisprudentia tribunalium ecclesiasticorum).
- 2) *Ex auctoritate doctorum* sive antiquorum sive recentiorum.
- 3) *Ex ratione intrinseca* (contra Arendt propugnata et in se analysi subiecta, examinando *opus hominis*).
- 4) *Ex aliis considerationibus confirmatoriis* (matrimonium, contractus socialis; communis persuasio; paritas cum matrimonio sterilium).

IV. VIR VASECTOMIATUS EST IMPOTENS.

Exposita notione impotentiae, probatur:

- 1) *Ex iurisprudentia Romanae Rotae*, in duplici causa recentissime confirmata, quae requirit ad actum coniugalem semen *verum* seu in testiculis elaboratum.
- 2) *Ex ratione agendi RR. Pontificum*, qui pluries dispensaverunt super rato non consummato, non obstantibus iteratis actibus matrimonialibus secundum externam speciem perfectis.

Quid valeat obiectio ex responso S. Officii.

- 3) *Ex auctoritate theologorum et canonistarum* omnium temporum.
- 4) *Ex paritate cum eunuchis* ad mentem theologorum secundum *Motu proprio* Sixti V.
- 5) *Ex natura rei*, cum a) vir vasectomiatus nequeat praestare *obiectum* contractus matrimonialis (obiectio ex senibus qui non emittant spermatozoides); b) fines secundarii non possint *ordinate* obtineri.

CONCLUSIO.—In quo sit impedimentum impotentiae. Consequenter: quinam viri, quatenus feminae sint certo aut dubie impotentes. Quid *in praxi* observandum.

I. PRAENOTANDA

Rem aggredimur aequè *molestam* ac nostris temporibus *practicam*, praesertim in ea parte quae refertur ad impotentiam viri.

Etenim ex dispositione in pluribus sive Americae sive Europae nationibus ab auctoritate civili lata, plura decena millia virorum (1) *vasectomiam duplicem* subierunt vel subeundam habent, in eo positam quod *ductus* qui dicuntur *deferentes*, seu duo canaliculi viam sternentes a didymis ad vesiculas seminales et meatum urinarium, sive sectione transversa scindantur, sive ligatione aliove modo oblitterentur, et sic via semini abrumpatur ad eiaculationem, sedulo servatis arteriis, nervis et venis quae huiusmodi ductus deferentes circumcingunt ac simul cum illis *funiculum spermaticum* constituunt (2).

Effectus huius operationis necessarius, donec extremitates canalium recisorum non resuantur, est *in viro* incapacitas *saltem generandi*, cum iam nequeat *zoospermata* (nemaspermata, spermatozoa) ciacularè, nisi forte in uno alterove congressu carnali paulo post vasectomiam peracto, dum adhuc nemaspermata viva conservantur sive in vesiculis seminalibus sive alibi intra vias apparatus generativi. Aliunde notandum est vasectomiam non causare neque *atrophiam* testiculorum—qui pergunt nutriri, integris servatis vasculis sanguineis funiculi spermatici, itemque secretiones seminales internas, etsi remissiores, habere—; neque appetitus genesici *inertiam*, cum cellulae testiculorum a Leydig nuncupatae non cessent elaborare *hormones* stimulativos huius appetitus, et aliunde integra maneat nervorum consociatio inter varias glandulas sexualis apparatus; neque ullam membrorum genitalium *immulationem* quoad activitatem exterius in motibus venereis et huiusmodi perceptibilem. Retinent quoque capacitatem ad copulam peragendam, secundum *externam speciem* plane perfectam et venerei aestus satiativam ac resolutivam, in qua tamen *non verum semen* e testiculis, sed aliud liquidum e prostata aliisque glandulis (Littre, Cowper) secernitur.

(1) A. VALLEJO NÁGERA transcribit relationem statisticam officialem virorum et feminarum qui, sub dispositionibus genesicis ab auctoritate civili arbitrarie latis, sterilizationem passati fuerant in pluribus (21) Statibus Confederationis Americae septentrionalis ab anno 1909 ad 1928: in universum recensentur 4517 viri et 3998 feminae. Cfr. *La asexualización de los psicópatas* (Madrid, 1934), p. 23. Numeri sat moderati si comparentur cum casu Germaniae, ubi ex lege lata die 14, VIII, 1933, non minus quam 56244 personae ad vasectomiam subeundam fuerunt obligatae primo iam applicationis anno, in executionem sententiarum a 205 tribunalibus pronuntiatarum.

(2) Cfr. O'MALLEY, *Vasectomy in Defectives*, "Ecclesiastical Review", XLV (1911), 687 ss.; A. GEMELLI, *De Rectitate vasectomiae*, "La Scuola cattolica", XXI (1911), 403 ss.

Castratio viri consistit in extirpatione utriusque glandulae germinativae, cui aequiparari potest *perpetua atrophia* eorundem testiculorum ope radiorum aliave ratione obtenta.

Eius effectus diversi sunt pro diversa aetate individuorum huic operationi subiectorum. Etenim castratus *impuber*, quoniam privatur effectu secretionis internae ab his glandulis percipiendo in ordine ad evolutionem *characterum sexualium secundariorum*, in perpetuum manet quoad sexualia in statu infantibus haud dissimili, absque appetitu venereo, absque excitationibus carnalibus, absque signis externis virilitatis. Castratus vero *post pubertatem* adeptam, retinet per tempus plus minus longum aptitudinem ad motus venereos et congressum carnalem (fortasse fecundum una alterave vice statim post evirationem, ut de vasectomiatis indicatum est), itemque appetitum eorundem actuum, quin possit tamen in eis ipse satiari vel compartem ad resolutionem aestus carnalis adducere, orbatus vitalitate quae ad istum effectum apparatus generativo provenit e secretionibus endocrinis testiculorum.

Femina excisa ea dicitur quae per operationem sic dictam *porrensem* (a Dr. Porro, qui eam primus feliciter peregit) utero et ovariis simul privatur, integra manente vagina ad congregiendum carnaliter modo naturali.

Effectus huius operationis in ea est perpetua et absoluta *incapacitas* concipiendi, cum nec *ovaria* praesto iam sint quae ovulos per menses maturatos suppeditent (3), nec *tubae fallopianae* in quibus occurrere possint ovula nemaspermati ad fecundationem accedenti, et per quas migret deinde ovum fecundatum ad *nidationem* in pariete emollito matricis, nec *uterus* in quo convenienter evolvatur embryo in fetum viabilem.

Praeter hanc operationem porrensem ad scopum nobis propositum per se spectat summaria descriptio *oophorectomiae*, seu extirpationis ovariorum (castratio feminae), et *fallectomiae* duplicis, seu resectionis utriusque oviducti communicantis ovaria cum matrice (vasectomia feminae). Sed quia solutio quam dabimus in casu mulieris excisae a *fortiori* applicabitur ad casus oophorectomiae et fallectomiae, a descriptionibus et considerationibus inutilibus abstinemus.

(3) "Ad existentiam ovariorum in feminis non nisi serius devenitum est; nam primo *Von Graaf* (1678) descripsit vesiculas femineas, quas ipse pro ovulis habuit...; verum in ovaris mulieris ovulum in vesicula Graaf contentum, si non primo cognovit, saltem primus scientifice asseruit et illustravit *von Baer* (1827)." W.-VIDAL-AGUIRRE, *Ius canonicum*, V (Romae, 1946), p. 257, n. 216, nota 3.

II. STATUS QUAESTIONIS

His ad meliorem rei intelligentiam praemissis, quaestionem tractandam sic definimus:

NON AGITUR de *liceitate* vasectomiae in viro aut operationis porrensis in femina. Haec quaestio in theologia morali plane resolvitur, asserendo: a) Liceitatem *incontroversam* utriusque, quando agitur de consulendo saluti *totius* organismi per sacrificium necessarium vel summe conveniens *partis* eiusdem. b) Illiceitatem *certam*, quando operationes istae peraguntur ad vitandam prolem defectuosam, etiam iussu auctoritatis civilis, vel propter quamlibet aliam rationem quae in persona innocenti non respondeat saltem meliori conservationi vitae sive physicae sive psychicae (4). c) Illiceitatem *probabilius*, etiamsi in poenam (haud necessariam pro protectione Status, in se autem exiguam et aliquando pro reo gratam) veri delicti ab auctoritate publica decernatur; quamvis enim controversiam moralistarum apertam reliquerit genuinus textus Encycl. *Casti connubii* (5), rectius sentire videntur illi qui sustinent eam poenam, nedum aptam et conducentem finibus ab auctoritate curandis, perniciosam potius et inefficacem ex magna parte eventuram.

AGITUR SOLUMMODO de *naturali capacitate* feminae excisae et viri vasectomiati ad matrimonium contrahendum; utrum, scilicet, ii dicendi sint laborare illa *impotentia antecedente et perpetua ac certa*, quae secundum can. 1.068, § 1, "matrimonium ipso naturae iure dirimit", an potius habendi sint *aut certo potentes*, ideoque apti ad validum connubium ex hoc capite contrahendum, *aut saltem dubie impotentes*, ac consequenter facultate praediti ad nuptias ineundas propter antiquius ius nubendi nisi *certo* obsit impedimentum, confirmante can. 1.068, § 2, quod "si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum".

QUAESTIONEM NON LIMITATUS ad solum casum hodie acriter controversum de *vasectomia duplici viri*, sed veterem quoque discussionem de *femina excisa* summo calamo attingere volumus. Quamvis enim haec *in praxi* disensionibus iam vix possit esse obnoxia, tamen disquisitioni super viro va-

(4) Cfr. Encycl. *Casti connubii*, AAS., XXII (1930), 564.

(5) Cfr. AAS., XXII (1930), 564-565, 604. Ex comparatione textus Encyclicae latini manu scripti evidenter constat lectionem, prout per subsequentem notificationem fuit stabilita, fuisse primitivam, a Summo Pontifice unice intentam et approbatam. Cfr. F. HÜRTH, *Zur Enzyklika Casti connubii*, "Scholastik", VII (1932), 85-87.

sectomiato lucem affert et complementum, et ex ea simul considerata—aucta quidem simul difficultate—, augebitur, ut speramus, vis demonstrationis et maiori claritate nostra argumentandi ratio illustrabitur.

Et quia haec quaestio de muliere excisa magis trita et minore obscuritate circumfusa apparet, ab ea exordiemur, breviter referentes controversiam olim agitatam, et argumenta adducentes ex quibus nostra sententia, tum sufficienter in se contra adversariorum opinionem probata videtur, tum in praxi certo applicanda imponitur.

III. MULIER EXCISA, SITNE IMPOTENS AD MATRIMONIUM

Res acriter *controvertebatur* priore decennio huius saeculi. Antesignanus insignior sententiae affirmantis inter postremos defensores eiusdem recensetur J. ANTONELLI in pluribus operibus (6).

In *argumentum* solent invocari, inter alia minoris momenti, responsa quaedam S. C. Concilii, signanter ea quae in causa *Monasteriensi* lata fuit (7); paritas cum eunuchis aut saltem—in argumentatione ad hominem—, cum viris vasetomiatis, quatenus hi considerentur impotentes; deficientia actus carnalis *per se apti* ad prolis generationem, qualem ad conceptum potentiae sensu canonico verificandum communiter requirunt quotquot virum vasetomiatum censent impotentem. De quo in sectione sequenti ex professo agemus.

His auctoritatibus et his argumentis non obstantibus, *contendimus mulierem excisam*, secundum sententiam speculative, ut nobis videtur, probabiliorem, *non esse impotentem* ad matrimonium, sed laborare organico defectu ex quo aequiparatur impotentiae functionali quae est communiter in senibus *ad generandum*, eique, sicut senibus, applicari conceptum proprie dictae *sterilitatis*, quae matrimonium nec dirimit nec impedit (can. I.068, § 3).

Argumentis nitimur potissimum sequentibus:

1) MAGISTERIUM ECCLESIASTICUM.—A) “Ecclesiae semper retinuit impotentiam esse impossibilitatem copulae cum *veri seminis emissione in vagina*, et *nihil aliud*”. Sic affirmat Card. GASPARRI (8), et eius assertio

(6) Cfr. *Medicina pastoralis*, III (Romae, 1932), pp. 85-381, nn. 476-589 (eandem sententiam sustinuerat in opusculis: *De conceptu impotentiae ac sterilitatis relate ad matrimonium*; *De mulieris excisae impotentia*; *Pro conceptu impotentiae ac sterilitatis relate ad matrimonium*). Eisdem accensentur inter eos qui rem tractant ex professo, ut praeclariores tantum aliquos commemorem, ROSSET, DE LUCA, SANTI-LEITNER, WERNZ, BUCCERONI, CASACCA, PALMIERI, NOLDIN, VILLADA, UBACH.

(7) Cfr. ASS., 32 (1899), 449-480.

(8) *Tratatus canonicus de matrimonio*, I (Romae, 1932), p. 316, n. 525.

valet non solum de antiquiore tempore, quando physiologicae doctrinae recentiores ignorabantur, sed etiam de nostris diebus, quando Ecclesia tacet vel potius per ordinarium S. Sedis Tribunal, quod est Rota Romana, confirmat propositionem modo relatam ut infra patebit.

Sane: a) *In Decretalibus* titulus de impotentia inscribitur, "*De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*" (cf. X, 4, 15); et revera contra adversarios partis subsequenter difficultatem habebimus in probando decretalistas, et post eos auctores antiquiores, plus ad potentiam postulasse quam congressum venereum satiativum. b) Ecclesiam nihil aliud requisivisse ad matrimonium in femina demonstratur, nisi *ut adeo arcta non fuerit* quae nulli potuerit carnaliter commiseri, nisi per gravem incisionem aut alio sibi modo periculose violentia inferretur (c. 6, X, 4, 15, etc.). c) Consequenter in causis de *inconsummatione* matrimonii et similibus quaestionibus, semel atque per testes, iuramentum partium, inspectionem hymenis, constiterit virum penetravisse vaginam cum emissionem seminis, nihil aliud desiderabat ad matrimonium validum et consummatum declarandum, quin intimiorem inspectionem feminae eiusque organorum internorum exigeret; quòd, si *ex praesumptione* satis fuisse dicatur ut matrimonium contrahendum non impediretur, certo insufficiens fuerit quando de matrimonio dissolvendo lis agebatur.

B) *Accedunt resolutiones S. C. S. Officii*—quae circa quaestiones doctrinales una competens est in hac materia—saltem duodecim inter annos 1887-1904, nostrae opinioni faventes (9). In eis controvertebatur de potentia feminae sive excisae sive saltem oophorectomiatae vel fallocomiatae, et resolutiones ita pronuntiatas sunt a S. Officio ut, *aperta manente quaestione theoretica*, iurisprudentiam *practicam* matrimonium permittendi determinaverint, ut ex mox dicendis patebit. Ex decisionibus S. Officii commemoratis tres saltem considerabant casum feminarum quae per utriusque ovarii ablationem steriles et *prolis concipiendae incapaces* factae fuerant (10); proinde actus coniugalis cum eis positus, aequo modo ad gene-

(9) Chronologico ordine relatae et examinatae fuerunt a B. OJETTI pro voto praeparando circa impedimentum impotentiae. Deinde in suo opere *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii*, II^a (Romae, 1911), v. *Impotentia*, col. 2.268-2.269, n. 2.421, tres ex eis, publice notas, expressit.

(10) *En decisiones*: 1) Die 3, II, 1887: "Num mulier N. N., per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne? Re maturè dique perspecta, matrimonium mulieris, de qua in casu, non esse impediendum." (Aliter referunt hunc casum, v. gr., W.-VIDAL-AGUIRRE, *Ius can.*, V. p. 278, n. 227; DE SMET, *De si nullibus et matrimonio* (Brugis, 1927), p. 485, n. 555, nota 1, quasi ageretur de muliere cui ablata fuerint "duo ovaria et uterus", exponendo conceptum hisdem verbis quibus OJETTI vertit (l. c. in nota praecedenti) causam *Quebec*, de qua inferius).—2) Die 1, VII, 1895 (*Westmonast*): "Utrum puella N. cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt, quaeque proinde, licet ceteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium valide et legitime

rationem *per se ineptus* dicendus esset iuxta placita adversariorum atque actus mulieris plane excisae.

Infirmare quidem hoc argumentum contendunt adversariae partes, obicientes, a) has resolutiones respexisse *casus dumtaxat particulares* et concretos, in quibus adfuerint peculiare rationes nobis haud perspectae, adeoque nullam ansam praebuisse ad argumentum inde eruendum pro nostra sententia. *Addunt* b) responsiones illas datas fuisse in hypothesi quod *potuerit adhuc* per se in illis casibus *sequi generatio*, scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri aut ovariorum excisio et absentia (11). Proinde responsa ista supponerent *dubium facti*, in quo matrimonium non est impediendum, firma et certa manente impotentia mulieris certo totaliter excisae per operationem porrensem. In cuius opinionis *confirmationem* proferunt alium casum excisionis ovariorum ad S. Officium allatum (a. 1902), in quo antequam responsum daretur "a medico expetitur fuit, quam ratione illa excisio facta esset. Qui cum respondisset de *perfecta* carentia organorum non *certo* constare, tum demum prodiit responsum: matrimonium in casu non esse impediendum" (12).

At his observationibus *responsum habemus fere demonstrativum*, ut videtur:

Adversus primam quidem, liceat proferre aliud responsum eiusdem S. Officii in causa *Quebecensi* (23-VII-1890), resolvens casum de operatione porrensi, per quam *duo ovaria et uterus* fuerant ablata mulieri; nec quidquam sinit suspicari S. Officium decrevisse "matrimonium non esse impediendum", propterea quod de *totali* impossibilitate concipiendi non constaret (13). Potius contraria dispositio subauditur in expositione tum huius tum aliarum causarum solutarum. Ceterum, si tale dubium fuisset in quaestione, vacasset rem seu figuram dubii (*iuris nimirum*) *mature perpendere*, ut Cardinalis a Secretis testatur evenisse in Congregatione. Accedit quod, minus cohaerenter cum animadversione S. C. de Prop. Fide, Card. Monaco

contrahere possit. R. Detur responsum ut in Rheginen. [potius "Reglensi", cfr. ASS, XXVII, 1894, 128], scilicet matrimonium non esse impediendum" (cfr. *Coll. de Prop. Fide*, II (Romae, 1907), p. 324, n. 1.907).

(11) Cfr. I. BUCCERONI, *Institutiones theologiae moralis*, IV (Romae, 1915), p. 63, n. 994 arguente ex declaratione quam ipsi fecerit Secretarius S. Officii; quae declaratio privatam mentem Emml. Card. Parocchi exprimebat, qui ceteroquin nondum gerebat munus a secretis quando istae causae actae fuerunt.

(12) F. X. WERNZ, *Ius decretalium*, IV (Prati, 1911), p. 148, n. 345, nota 34.

(13) *En relatio integra casus*: "Se una donna, cui per mano chirurgica siano state asportate ambedue le ovaie e l'utero, possa validamente contrarre matrimonio. Et re mature perpensa E. ml. dnl. Cardinales... decreverunt: matrimonium non esse impediendum" (cfr. *Coll. S. C. de Prop. Fide*, II (Romae, 1907), p. 249, n. 1.733, ubi ad calcem additur animadversio: "Hoc responsum peculiarem casum respicit, de quo agebatur").

addebat in communicando responso cum Episcopo consulente: "quod, dum Amplitudini tuae, *pro istius Curiae norma* significo, eidem..." Animadversio autem, de qua in nota 13, posita fuerat fortasse ex eodem motivo quod, occasione causae *Westmonast.*, perseverare declaravit S. Officium (16-I-1895), nimirum, "in huiusmodi casibus esse in singulis recurrendum, cum hucusque responsum non fuerit, nisi pro casibus particularibus" (14). Ex quibus colligitur *peculiares rationes* in praedictis casibus vix fuisse.

Adversus alteram, vero, opponendam habemus:

C) *Resolutionem S. C. de Sacramentis* (2-IV-1907) in causa *Ovetensi*, quam describit FERRERES (15). Nimirum, quaestio erat de femina quae operationem chirurgicam per laparotomiam subierat, qua ipsi uterus et ovaria extracta fuerant. Haec et ex responsione medici constabant, et ex opinione consulentis constituebant impedimentum impotentiae (dispensabile quidem ut opinari videbatur, nam negotio exposito addebat: "Et supposita totali ablatione uteri et ovariorum, possumne petere a Sanctitate Sua dispensationem ab impedimento). Nihilominus S. C. de Sacramentis, quasi ageretur de negotio *iam pervio* et facili in iurisprudencia S. Sedis, responsum transmisit categoricum, et quidem per *Congressum*, cuius est, iuxta normas reformae Curiae negotia "obvia nullique obiecta controversiae" expedire, quin ea remittat *Congregationi Cardinalium* (16).

Modus etiam quo prodiit decretum, absque ulla ulteriore investigatione *completae* sea *totalis*, quae proferebatur, extirpationis uteri et ovariorum, cum simplici referencia ad decisionem S. Officii in causa *Quebec.*, videtur inuere S. Officium in suis decisionibus dubium *iuris* potius quam *facti considerasse* (17), et normam tandem stabilisse deinceps regulariter analogis casibus applicandam. Et revera, FERRERES adducit anonymum canonistam

(14) Cfr. *Coll. de Prop. Fide*, II, p. 324, n. 1.907, nota, vel P. GASPARRI, *Codices iuris canonici fontes*, IV (Romae, 1926), p. 487, n. 1.174, nota.

(15) *De vasectomia duplicit necnon de matrimonio mulieris excisae* (Madrid, 1913), págs. 108-110, 116-124, nn. 233-235, 249-167. *En expositio elevata* S. Congregationi ex parocchia quadam dioecesis ovetensis: Agebatur de femina cui "en una operación quirúrgica reciente le habían extirpado la matriz y los ovarios. Consultado el médico que había llevado a cabo la operación, dijo que era cierta la extirpación de la matriz y de ambos ovarios. ¿Puedo, por lo tanto, proceder al matrimonio, o la considero imposibilitada por el impedimento de impotencia? Y en vista de la extirpación total de la matriz y ambos ovarios, ¿puedo solicitar de Su Santidad dispensa del impedimento?" Cui S. Congregatio, per Subsecretarium, "omnibus mature perpensis... respondendum censuit prout sequitur: quatenus vera sint exposita, detur responsum. S. Congr. S. Officii die 23 Iulii 1890 in causa *Quebecen.*, sci. matrimonium non esse impediendum..."

(16) Cfr. AAS., I (1909), 62: *Normae peculiares de ordine servando in Sacris Congreg.* p. II, cap. 2, 2.º

(17) In casu relato a. F. X. Wernz videntur adfuisse rationes alterius indolis, cur matrimonium non facile permitteretur etiam posita potentia coeundi. Cfr. OJETTI, o. c. in nota 9, p. 2.243, n. 2.403.

romanum egregium, cuius testimonio S. C. de Sacramentis "solet iam respondere casum non egere examine, sed responsum hoc: *matrimonium non esse impediendum*, valere pro omnibus casibus similibus" (18).

D) *Accedit iurisprudencia* tribunalium ecclesiasticorum quae, ut a priori supponendum est, principia doctrinalia aut adhibent omnibus communia aut, in rebus controversis quae fidem et mores spectant, a S. C. S. Officii mutuantur. Sic v. gr. de Supremo Tribunali *Signaturae Apostolicae* refert GASPARRI (19) sententiam datam (27-VI-1931) in casu feminae habentis vaginam aptam ad coitum sed retroversam ab utero et ideo impossibilitantem spermatis transitum a vagina in uterum; ad duplicem quaestionem: an constet de nullitate matrimonii in casu, an saltem constet de inconsummatione, reposuit Signatura "negative ad utrumque". Similem praxim observat *Romana Rota*. Sufficiat citasse haec verba per transennam, ut in re cuilibet notissima, scripta in disquisitione ultimae causae ab ea actae quam prae manibus habemus: "Mulier vero potens est, si valeat esse elementum receptivum tum membri virilis tum seminis ab eo eiaculati; quare non nocet si mulier careat utero et ovariis, quae sunt organa postvaginalia, ad facultatem receptibilitatis nullatenus pertinentia" (20).

Quodsi quis obicere adhuc persistat cum ANTONELLI, producens causas nullitatis a S. C. Concilii decisas, dicemus hanc Congregationem *de facto* causas istas recte pronuntiasset, cum in omnibus eis, simul cum defectu uteri, concurrerit vagina inepta ad actum coniugalem (21). Verum quidem est in causa *Monasteriensi* voto theologi (Sili) praevaluisse specietenus votum canonistae (de Luca) nostrae thesi contrarium; sed huic possemus opponere alia vota paris auctoritatis, v. gr., theologi in causa *Albinqan.*, et tandem aliquando praevalere potuit quia praeter ratiocinium eius aderant legitimae causae invalidantes matrimonium, ex quibus S. Congregatio, quae "nunquam onus sibi suscepit edendi his declarationes doctrinales", potuit pronuntiare nullitatem iuxta principia theoretica S. Officii.

(18) *Compendium theologiae moralis*, II (Barcinone, 1940), pág. 562, n. 1.005, nota 4. Consonat, inter alias, decisio S. C. de Sacr. in causa mulieris excisae (15, XII, 1911): "Non constare de inconsummatione matrimonii: supervacaneum igitur esset recurrere ad S. Cong., sive ut declaretur nullitas matrimonii, sive saltem ut dispensatio obtineatur super matrimonio rato non consummato". Cfr. I. BUCCERONI, *Casus conscientiae*, II6 (Romae, 1913), p. 294, cas. 146.

(19) *Tractatus canon. de matrim.*, I, p. 325, n. 534.

(20) Cfr. "Periodica de re morali, canonica, liturgica", XXXV (1946), 13.

(21) Nimirum, a) in *Salernitana* allegabatur "mancanza assoluta della vagina o dell'utero, ed in luogo della vagina il canale della uretra dilatato de ammettere il dito mignolo..." (Cfr. *The-saurus resolutionum S. C. C.*, vol. 121, p. 320); b) in *Verulana* vagina erat "di una lunghezza di un pollice e mezzo, terminante in una membrana muscolare di durissima consistenza imperforata (cfr. *ibid.*, vol. 130, p. 199); c) in *Albinqan.* agebatur de muliere cui "l'orifizio della vagina esiste ma è corto, a misura appena circa sei centimetri e termina in una specie di cul di sacco ermeticamente chiuso..." (cfr. *ibid.*, vol. 154, pp. 774-775); d) in *Monasteriensi*, pro vagina "vi era una via cieca talmente corta che appena riusciva introdurvi il primo articolo dell'indi della mano destra..." (cfr. *ibid.*, vol. 158, p. 161).

2) AUCTORITAS DOCTORUM. Supervacaneum est *antiquos* adducere, cum nemo nesciat eos:

a) Distinguentes inter impotentiam *coeundi* et impotentiam *generandi*, hanc alteram dixisse sterilitatem, priorem habuisse pro impedimento *ex quo perfici copula non posset*; sic v. gr. F. SCHMALZGRÜBER, doctrinam in controversam et unanimem his refert verbis: “Qualis impotentia dirimat matrimonium? Sola impotentia ad copulam dirimit matrimonium, non vero impotentia ad generationem” (22).

b) Non aliam agnovisse in muliere causam impotentiae physicam et intrinsicam praeter eius *arctitudinem*; sic v. gr. Th. SANCHEZ, asserens “arctationem”, non vero “frigidityatem” constituere impedimentum in femina, utpote quae sola impediatur coitum (23).

c) Copulam intellexisse talem quae fiat “per feminae *vasis penetrationem et seminis* in id *infusionem*” (24); eamque, sine ulterioribus requisitis, habuisse pro facta “per quam, scilicet, cum penetratione vasis foeminei intra illud semen immittitur” (25).

d) Aliquando nimis facile adductos fuisse ad admittendam sine ulteriore disquisitione potentiam, quando finis primarius matrimonii obtineri non poterat, modo locus esset medendae concupiscentiae, quia “sufficit... alteram [causam] non deesse” (26).

In sectione sequenti laborabimus difficultate ad trahendos textus istorum auctorum ad nostram sententiam, propterea quod videantur exigere ad potentiam merum congressum carnalem *cum aliqua seminatione* satiativa ex parte viri.

Ad recentiores autem quod attinet, suscitata controversia propriis terminis sub progressu scientiae physiologicae, eximii fere quique sive moralistae sive canonistae (27), potentiam mulieris excisae pronuntiabant, praeventibus FERRERES et OJETTI, qui eam funditus examinaverunt (28).

Eorum compactum agmen, probabilitatem *saltem extrinsecam* indubitate

(22) *Ius ecclesiasticum unversum*, l. IV, tit. 15, n. 31 (ed. Cam. apost., 1845, t. IX, p. 166)

(23) *De Sancto Matrimonii sacramento*, l. VII, disp. 92, n. 1 (ed. Lugdunensis, 1654, t. II, p. 333).

(24) REIFFENSTUEL, *Ius canonicum unversum*, l. IV, tit. 15, n. 2 (ed. Vives, 1868, t. V, p. 473).

(25) E. PIRHING, *Ius canonicum*, l. IV, tit. 15, n. 1 (ed. Remondin., t. IV, p. 80).

(26) GOFFREDUS DE TRANO, *Summa* cit. apud OJETTI, o. c. in nota 9, col. 2.231, n. 2.397.

(27) V. gr., *inter moralistas*, AERTNIJS-DAMEN, A. MUÑOYERRO, ARREGUI, BERARDI, ELBEL-BIEHAUM, ESCHBACH, GENICOT-SALSMANS, MERKELBACH, NOLDIN-SCHMITT, PRÖMMER, TANQUEREY, VERMEERSCH, etc.; *inter canonistas*, vero, CAPPELLO, D'ANNIBALE, DE SMET, GARCÍA BAYÓN, GASPARRI, LAURENTIUS, TARQUINI, VLAMING, W.-VIDAL-AGUIRRE, etc.

(28) Respective in *De vasectomia dupl. necnon de matr. mulieris excisae* (Madrid, 1913), et *Synopsis rerum moralium et turis pontifici*, II^a (Romae, 1911), v.º *Impotentia*, pp. 2.222-2.276 nn. 2.390-2.424.

constituit. Immo, irreverentiam sapit *intrinsecum valorem* detrectare iudicio tot tantorumque doctorum, qui rationes et argumenta perspiciunt pro sententia ab eisdem sustentata. Ob eandem causam censemus absque temeritate reprobendam opinionem J. ANTONELLI, infitiantis existentiam dubii circa quaestionem quae auctores primi subsellii hinc inde certantes vidit, in qua ipse Antonelli tempus et oleum consumpsit repulsurus *argumenta* suorum adversariorum per non minus quam 251 pagellas!

3) RATIO INTRINSECA. Secundum canonem I. C. 1.081, § 2, "consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et accipit ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem". Iam vero, huiusmodi consensus *vere et efficaciter* praestari potest a femina excisa, cuius contractus matrimonialis sic habeat debitam ordinationem, etsi inefficacis eventus ad finem primum matrimonii, et rationem sufficientem in finibus secundariis efficaciter obtinendis.

Celebris fuit in hac re *singularis* positio G. ARENDT (29), contententis matrimonium mulieris excisae esse invalidum, quatenus ipsa mulier *conscia sit* suae ineptitudinis ad generandum; non quidem ex capite impotentiae, sed *ex incapacitate ad verum et genuinum consensum*, cum contractus coniugalis iure divino essentialiter includat "intentionem prolis *saltem praesumptive possibilem*, iuxta communiter contingentia in natura humana lapsa". Aliis verbis: Ex nota regula iuris, impossibilium nulla obligatio. Atqui contractus matrimonialis essentialiter dicit traditionem iuris ad copulam carnalem, quod a parte conscia suae impotentiae ad coeundum tradi non potest. Ergo deficiente materia contractus, hic quoque deficit, exclusa pariter positive intentione finis operis, quae pacto coniugali est essentialis.

Sed ipsa eiusdem *singularitas* et expressa ac valida multorum impugnatio satis ostendit *ad minus dubiam* esse in casu mulieris excissae impossibilitatem praestandi consensum matrimonialem naturaliter validum; *accedit* ad infirmandam ab intrinseco opinionem P. ARENDT, quod si obiectiva conditio *ignorata* non impediatur obiectum contractus, verum scilicet vinculum coniugale, quidni idem operetur obiectiva conditio *perspecta*, etiamsi agatur de "incapacitate naturaliter intrinseca"? Nam etiam in hoc casu, non obstante tali "defectu cognito *qua cognito*", videtur consensus matrimonialis debitis qualitatibus posse instrui, etiamsi admitteretur defectum esse ad ac-

(29) Potissimum in opere *Circa controversam validitatem matrimonii feminae excisae* (Romae, 1923), quod opus, simul cum priore *Relectio analytica super controversia de impotentia ad generandum* (Romae, 1913), defendendum suscepit in "Ephemerides theologicae Iovanienses", III (1926), 513-518 et IX (1932), 432-441 contra conclusiones adversas DD. Oesterlee et G. Arendt.

tus per se aptos ad generationem, et non solum ad generationem; *eo magis* quod vel ipsa "scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimoniale[m] necessario non excludit" (can. 1.085). Sane, persistit secundum ipsum Arendtabilitas personarum ad matrimonium, ideoque contractus obiectum; cur consensus deficiet si fertur in matrimonium quod, nedum certo aestimetur tanquam absolute et simpliciter impossibile, ostenditur praeditum vera possibilitate et assequibilitate saltem propter ipsam sententiarum divisionem, ideoque aptum ut in illud feratur efficaciter actus assecutivus voluntatis?

Sed ut rationem intimam penitus attingamus, contendimus feminam excisam posse cooperari ad actus *per se aptos* ad prolis generationem (in quo praecise est discrimen cum viris vasectomiatis, quod adversarii nostri non agnoscunt, nos exinde arguentes de inconsequentia), ideoque eius connubium *debito modo obiective ordinari* ad finem primarium, etsi ineffaciter; fines autem secundarios, efficaciter assequibiles, finique primario ut fas est *subordinatos*, plane posse iustificare celebrationem matrimonii talis mulieris excisae.

Et ratio, quam magis sub alio respectu in sectione sequenti *evolvemus*, haec est: matrimonium quidem habet pro *fine operis primario*, prolis generationem; ideoque nihil unquam, sive in contractu ineundo sive in vita maritali agenda, ei *positive* opponi potest. Immo, *opus coniugum*, quatenus contraponitur *operi naturae* misterioso (30) (quo ex parte *praeparatur*, sed potissimum *perficitur* opus coniugale, prolato zoospermate ad coniunctionem cum ovulo in tuba fallopiana, cui consequitur *opus Dei* creantis animam eandemque infundentis in corpusculum illud momento, ut videtur, impregnationis ovularis), debet ex natura sua continere et praestare ea omnia quae *ex parte activitatis humanae* requiruntur et sufficiunt ut generatio obtineri possit, in quantum hoc pendet praecise ab activitate congressus carnalis. Secus non habetur opus hominis quod secundum speciem actus *de se tendat* ad prolis generationem, sive ipsa generatio (opus naturae) sit deinde possibilis sive non.

At dicendum hoc revera praestari a femina excisa quatenus praestandum est in ipsa copula, cum femina sit in ea elementum mere *receptivum* et passivum. Etenim in ipso actu coniugali, proinde in opere *hominis*, mulier excisa pari omnino ratione se habet ac femina non excisa; secretiones

(30) Haec distinctio, summi quidem in hac re momenti, iam apud LACTANTIUM, *De opificio Dei*, cap. 19 (MIGNE, P. L., t. 7, col. 73-74) legitur: "Nam terreni parentis nihil est, nisi et humorem corporis, in quo est materia nascendi, cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat... Caetera iam Dei sunt omnia..."

vulvo-vaginales, praesentia uteri et ovariorum, praesertim vero decisio ovuli fecundandi, nullo modo concurrunt ad hoc ut in coitu praestentur omnia quae ex parte eiusdem praestanda sunt, nullamque habent coniunctionem cum ipso actu coniugali, in quo actio hominis sistit. Inde est quod deficit quidem elementum essentiale *ad generationem*, sed haec deficientia non est ex parte actus coniugalis, qui *per se*, seu ex sua naturali structura, aptus manet ad generationem, etsi ob causas ei extrinsecas, ex parte *naturae* non subministrantis subsequenda requisita, de facto non habeatur neque haberi possit conceptio ex actu coniugali rite peracto.

Non, ergo, opponatur finem secundarium non posse rite haberi quin sit subordinatus primario. Hoc quidem verum est, sed et obtinet in casu. Ratio enim ob quam non subordinaretur, esset quia ipse actus coniugalis mulieris excisae non haberet ordinem debitum ad finem primarium, *inexistentem* in casu; at essentialis relatio huius actus ad prolem, etsi *per accidens* proles non possit haberi, servatur omnino, cum nullum ex elementis essentialibus eiusdem deficiat vel sit substantialiter corruptus. Potest, igitur, finis secundarius congruam relationem ad finem primarium servare.

Posita autem debita ordinatione matrimonii et ipsius actus coniugalis mulieris excisae ad finem primarium matrimonii, sequitur eandem posse in matrimonio uniri, eoque uti, propterea quod fines secundarios efficaciter obtinere potest in actu de se pariter tendente ad assecutionem finis primarii. Ad rem faciunt verba Pii XI: "Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorundam defectuum causas nova inde vita oriri non possit." Neque desunt honesti fines et motiva, cur in talibus conditionibus coniuges suo iure utantur; pergit nempe Pontifex, dicendo: "Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primum finem debita ordinatio" (31).

Premittitur utique contra hanc argumentationem quod "aptitudo ad generationem constituitur non una materiali copula, sed ea ipsa et serie successiva functionum intrinsecarum, ex quibus omnibus non disiunctive sumptis, sed simul coordinatis, resultare potest generatio", quod "non sufficit considerare quid peragitur, sed considerari etiam debet ubinam peragitur" (32),

(31) Lit. encycl. *Casti connubii*, AAS., XXII (1930), 561.

(32) Respective: G. ARENDT, *De matrimonio feminae excisae*, "Ephem. Theol. lov.", III (1926). 514, et J. UBACH, *Compendium Theologiae maritalis*, II (Friburgi Br., 1937), p. 468, n. 799, nota 3.

cum agatur de ea copula cuius generatio sit finis primarius. Vim difficultatis sincere fatemur, adeo ut propter illam credamus solum probabiliorem sententiam nostram, quam, sine illa, audacter diceremus certam. Sed, ea non obstante, censemus ab hominibus, qui solum respondent de opere *hominis*, solam postulari copulam materialem quantum est *de se* aptam; in eaque adesse requisitam *subordinationem* facultatis generativae sub fine primario, ordinemque ad generandum, etsi *per accidens* necessario inefficacem, qui non habetur in copula vasectomiati. Sane, si post congressum venereum viri potentis cum femina excisa repente redintegrarentur ipsi uterus et ovaria ovulusque maturus praepararetur, conceptio sine nova copula locum haberet; nonne hoc indicat eam fuisse *de se* aptam ad generationem? Secus requiretur novus congressus carnalis, nam partes viri in generatione semper *essentiales* sunt.

Admittimus quidem terminum comparationis qua suam opinionem illustrare intendit v. gr. UBACH: "sicut apparatus videndi non est solitarie oculus, sed is simul cum nervo et cerebri lobulo respondente"; sed negamus paritatem cum vagina cui non consequantur organa postvaginalia apta ad generationem. Nam, ubi primum deficit in oculo aliquod elementum ad activitatem videndi necessarium (v. gr. coniunctio cum nervis quae ad cerebrum et centrum videndi conducunt), substantialiter tollitur eiusdem essentialis sub fine primario facultatis visivae subordinatio. At vero si activitas videndi duplici opere integraretur, alio hominis, quod consisteret in aperi-tione palpebrarum, alio naturae in activitate ulteriore oculi, nemo posset dicere aperi-tionem palpebrarum non pertinere ad activitatem videndi et non esse actum *ex se* visivum, etiamsi visionem ex defectu ulteriore naturae non attingeret. Tale quid accidit in copula mulieris excisae, quae *ex se* apta est ad prolis generationem (*obiectum* contractus matrimonialis), etsi *per accidens effectum* contractus attingere non possit, deficientibus his quae ex alio capite (ex naturae opere) essent *ulterius* praestanda.

In memoriam revocetur sterilitatem neque dirimere neque impedire matrimonium (can. 1.068, § 3), ideoque impossibilitatem habendi prolem non obstare quominus partes possint dare-acceptare ius in corpus ad fines secundarios matrimonii reapse obtinendos, agendo secundum finem primarium. Iam vero, in quaestione de incapacitate somatica "aeque delicata ac difficili duo conatus evitari debent, unus quo in examinandis elementis constitutivis actus generationis unice pondus tribuitur fini primario matrimonii, perinde ac si finis secundarius non existeret vel saltem non esset *finis operis* stabilitus ab ipso Ordinatore naturae... Aliis verbis... duo extrema sunt vitanda, ex una parte ne practice negetur vel nimium deprimatur finis secun-

darius matrimonii et ipsius actus generandi..." (33). Haec verba a Summo Pontifice coram S. Romana Rota pronuntiata, licet controversiam non dirimant neque in uno neque in altero sensu, designant principium quod normam et criterium praebet in hac quaestione discutienda, et certe nostrae opinionioni favere videntur.

4) ALIAE RATIONES SALTEM CONGRUENTES. Praecedentibus argumentis alia accedunt prae oculis habenda in disceptatione, quorum unum alterumve innuere liceat:

a) Matrimonium est *contractus socialis*, regimini auctoritatis publicae (ecclesiasticae si agitur de matrimoniis baptizatorum; civili, si de matrimoniis infidelium) obnoxium. Ad hoc autem ut auctoritas possit illud moderari, de impedimentis eius valori naturaliter adversantibus constet oportet *mediis perviis* et haud difficilis comprobationis. Iam vero, *existentia et contributio ovariorum* ad generationem vel ipsos peritos artis medicae usque ad recentissima tempora latuerunt, ut in praecambulo indicatum est; nostris etiam diebus defectus naturalis vel completa atrophia ovariorum, inexistencia tubarum fallopianarum et huiusmodi anomaliae interni apparatus generativi femineae, *mediis communibus* difficillime cognoscuntur. His, itaque, sic se habentibus, non videtur verisimile Deum voluisse facere dependentem valorem matrimonii, natura sua ordinem externum et socialem respicientis, a re per decem et octo saecula inexplorata et nunc etiam saepe impervia et solis mediis extraordinariis cognoscibili (34).

Dicendum, ergo, videtur *solum incapacitatem ad congregiendum carnaliter* cum viro constituere in femina impedimentum impotentiae, utpote quae sola ex communiter contingentibus percipi potest, et vix de alia incapacitate naturali potuit Ecclesia per plura saecula sentire.

b) *Communis persuassio* hominum, ad quam provocat Card. GASPARRI (35), censuit et censet "adesse impotentiam cum matrimonii nullitate, si in vagina mulieris compleri nequit actus quem omnes retinent esse actum coniugalem; esse potentiam cum matrimonii validitate, si in vagina mulieris ille actus compleri potest, licet deinde prolis generatio minime sequatur". Profecto "si femina recipere possit semen intra vas, quamvis semel susceptum retinere nequiret, valeret matrimonium... et ipsa *solum sterilis* est, quod matrimonio non obstat" (36). Haec, autem, persuassio progressu scien-

(33) PIUS XII, *Allocutio ad auditores et officiales S. R. Rotae*, AAS., 33 (1941), 423.

(34) Neque enim carentia absoluta menstruationis signum est infallibiliter aut communiter demonstrativum impotentiae ad generandum; proferuntur quippe matres quae non fuerint menstruatæ.

(35) *Tractatus canonicus de matrimonio*, I (Romae, 1932), p. 324, n. 531, nota 2.

(36) Th. SANCHEZ, *De sancto matr. sacram.*, l. VII, disp. 92, n. 11 (ed. Lugd., 1654, II, 335).

tiae physiologicae minime fuit labefactata; immo, Ecclesia, etiam postquam recentiores doctrinas physiologicas cognovit, notionem impotentiae femineae veterum canonistarum non reprobavit, sed potius per S. Officii decisiones confirmavit, sicque iurisprudentiam Romanae Rotae secundum opinionem a nobis sustentatam determinavit.

c) *Mera sterilitas non dirimit matrimonium*, ut ex can. 1.068, § 3, omnibus incontroversum est. Porro, admissa impotentia dirimente quando opus hominis est possibile, si opus naturae agnoscat physiologicè impossibile, non clare apparet cur sterilitas *senum*, certo cognita, matrimonio non obstat; cur in S. Scriptura mulierum *sterilium* matrimonia ut vera celebrentur; cur actus coniugalis *praegnantis* habeatur ut rite positus, et huiusmodi plura. Neque enim Codex canonicus praebet indicia ulla distinctionis faciendae inter sterilitatem functionalem et organicam.

Haec uberius illustrabuntur et confirmabuntur quando exponemus in sequentibus argumentum pro impotentia virorum qui vasectomiam duplicem totalem irreparabilem passi fuerint. Ex dictis hucusque hoc ad minimum constat, quod impotentia feminae excisae, etiam in hypothesis non semper verificata quod certo constet de absoluta exclusione possibilitatis conceptionis, ac proinde dubii *facti*, manet *vere dubia* positive quoad dubium iuris. Consequenter, *mulier excisa non potest impediri a connubio neque celebrando, neque semel celebrato retinendo*; ab illo quia ius naturale ad matrimonium est in possessione donec contrarium certo probetur; ab hoc, quia dubio perseverante vel tunc primum exorto, ex generali iuris principio ac favore (can. 1.014) standum est pro valore matrimonii.

IV. DE VIRO QUI PASSUS EST VASECTOMIAM

Quaestio iam occurrit magnae actualitatis discutienda, utrum scilicet vir qui *vasectomiam duplicem irreparabilem* passus est, atque exinde certa impossibilitate laborat transmittendi ad extra semen in testiculis elaboratum, propter sectionem utriusque ductus ad illud deferendum destinati, *impotens* sit dicendus in ordine ad nuptias, an *mere sterilis*. Aliis verbis, disceptatio tota consistit in genuino conceptu impotentiae definiendo: utrum requiratur etiam capacitas *generandi*, an sufficiat sola capacitas *coeundi*, sirve ea *de se et ex parte actus hominis* sit generationi idonea, sive saltem *secundum speciem externam rite peragatur* cum resolutione et quietatione aestus venerei.

Sane notio incapacitatis a temporibus Sixti V communiter admissa illa fuit qua impotentia dicebatur "incapacitas viri et mulieris ad copulam per-

fectam"; hanc autem intelligebant aptam de se ad prolis generationem, licet per accidens generatio non sequatur. At vero nunc haec notio impingit in difficultates ortas ex controversiis ultimo hoc vicennio agitatis. Conceptu ab omnibus facile admittendo diceremus impotentiam esse incapacitatem viri vel mulieris *ad actum coniugalem*. Sed ideo praecise ab omnibus admittitur, quia controversiam insolutam relinquit. Pro actu enim coniugali alii intelligunt congressum carnalem ex quo physiologice, seu attento integro apparatu generativo, *sequi potest generatio* (37); alii, congressum quo vir *verum semen*, id est, in testiculis elaboratum, *modo naturali immediate infundit in vaginam mulieris*, sive haec habeat reliquas partes apparatus generativi integras, sive non (38); alii, congressum in quo vir naturali modo in vagina mulieris *normaliter seminat secundum externam speciem*, sive semen in tali copula satiativa eiaculatum ex testiculis proveniat, sive ex aliis glandulis quae apparatus generativo apponuntur (39).

In hac varietate opinionum *contendimus demonstrare* cum patronis alterius sententiae recensitae, impedimentum impotentiae in eo quidem et in eo dumtaxat consistere quod *verum semen in testiculis elaboratum, cum vel sine nemaspermatibus, non possit deponi modo naturali in vagina mulieris saltem imperfecte penetrata*; ideoque virum vasectomiatum cuius canales deferentes perpetuo erunt impervii, reapse habendum esse pro impotente.

En nostra potiora argumenta ex ordine proposita.

I) EX IURISPRUDENTIA ROMANAE ROTAE: Diuturna ac semper constans agendi ratio fuit apud S. Rotam Romanam, quod est tribunal in ultima instantia causas matrimoniales iudicialiter derimens, ut eos viros inunctanter habuerit pro impotentibus in ordine ad matrimonium contra-

(37) Sic omnes illi qui in sectione praecedenti sustinebant impotentiam feminae quae non habeat integra organa post-vaginalia, inter quos ANTONELLI hoc modo: "impotentia est absoluta et necessaria inhabilitas ad prolem obtinendam, ob carentiam organorum generationis essentialium vel ob eorum atrophiam vel ob quemcumque alium defectum, qui reddit copulam vel impossibilem, vel *ex natura sua necessario infecundam*". *Medicina pastoralis*, vol. III (Romae, 1932), p. 118, n. 537.

(38) Sic plerique qui in sectione praecedenti affirmabant feminam excisam esse potentem; plerique, quia a secundo decennio huius saeculi invalescere coepit opinio de requisita sola copula "secundum speciem externam" perfecta, eaque, ope praesertim A. VERMEERSCH, *pro praxi* communior fere fuit per decennium (annis circiter 1935-1946).

(39) Sic potissimum A. VERMEERSCH, *De castitate* (Brugis, 1921), pp. 45, 74-75, 79-80, nn. 52, 73, 84. *Theologiae moralis principia, responsa, consilia*, IV² (Romae, 1933), pp. 38-46, nn. 46-49; G. AREND, *De genuina ratione impedimenti impotentiae*, "Ephemerides Theologicae Lovanenses", IX (1932), 28-69, 442-450; sed etiam alii, tam anteriores (ut v. gr. DONOVAN, LABOURÉ, O'MALLEY in "Ecclesiastical Review"; GENELLI in "La Scuola Cattolica"; VIGLINO in "Il diritto ecclesiastico"), quam posteriores (ut v. gr. Woywod in "Homiletic and Pastoral Review". J. GROSAM in "Theologisch-praktische Quartalschrift", SCHMITT in "Theologia moralis", P. Noldin, etcetera). Plures (plerique) praeterea ultimo decennio censebant vel propter dubium *iuris* ob controversiam existentem, vel praesertim propter dubium *facti impotentiae* perpetuae, matrimonium vasectomiatum vi canonis 1.068, § 2 in praxi non esse impediendum (v. gr. CAPELLO, DAMEN, F. REGATILLO, G. BAYÓN, MIGUÉLEZ, PRÜMMER, YANGUAS, etc.).

hendum, qui, secundum expressionem usu sacratam, “*verum semen, id est, in testiculis elaboratum*” in perpetuum non possent aut conficere aut eiaculari; ut eas pariter uniones saltem ut dissolubiles consideraverit, dispensante ad cautelam Romano Pontifice super rato non consummato, in quibus probatum fuerit nunquam naturaliter depositum fuisse huiusmodi verum semen in vagina feminae.

Pluries ex hoc solo capite matrimonia nulla declaravit (40), et cuique notum est hanc esse iurisprudentiam a S. R. Rota, etiam his ultimis annis fideliter observatam, non obstantibus disputationibus doctorum. In confirmationem concretam et pariter eloquentem proferemus, synthetice relatas, sententias duas recentes, alteram diei 25 aprilis 1941 coram Wynen in causa *Romana*, alteram diei 25 octobris 1945 coram Jullien in secundo turno, confirmatorio primi, definitas.

1.^a *Species facti*: Postquam Agnes, per octo annos in matrimonio vixit cum Petro, liberorum valde cupida, rescivit maritum suum, ob morbum venereum ante nuptias contractum et operationem chirurgicam, nunquam liberos procreare posse. Agnes matrimonium accusavit nullitatis ex capite impotentiae viri. Tribunal Vicariatus Urbis votis actricis non obsecundavit, sententia die 25 iulii 1939 lata. Mulier appellavit ad S. R. Rotam, quae a Summo Pontifice facultatem obtinuit cognoscendi etiam de inconsummatione.

In iure. Cum tota controversia versaretur circa impotentiam Petri emittendi semen testiculare, quaestio in iure agitari debuit de necessitate huiusmodi seminis. Iam vero, commemorata *unanimes sententia* auctorum qui ultimis saeculis scripserunt, exposita quoque nova opinione quae duobus ultimis decenniis invalescebat, iuxta quam semen verum esset *quodlibet* liquidum eiaculatum in copula secundum speciem externam naturaliter peracta, asseritur categorice: “Hanc vero novam doctrinam S. Rota tanquam probabilem considerare non potuit, ideoque eam in suis sententiis non applicavit”.

Exponitur deinde argumentum ex nonnullorum biologorum placitis, quod testiculi nullum liquidum sed *sola nemaspermata* elaborent. Sed hoc factum neque incontroversum est, neque probabilius contrario, neque natum

(40) In impossibilitate consulendi directe Collectionem Decisionum S. R. R. liceat nobis referre aliqua exempla comprobatoria allegata a W. VIDAL-AGUIRRE; Dec. 23, XII, 215; Dec. 30, XIII, 278; Dec. 12, XV, 103; Dec. 15, XVI, 113; Dec. 17, XXIII, 131; Dec. 20, XXIV, 418. *Ius canonicum*, V (Romae, 1946), p. 240, n. 233, nota 78. Quibus accedunt ex ultimis annis plures alii casus mox citandi.

evertere traditionalem conceptum impotentiae si forte aliquando ostenderetur verificari; nam semen testiculare non idem sonat ac semen nemaspermatibus provisum. Etenim ad producendam novam vitam concurrunt, praeter opus *Dei*, opus *naturae* et opus *hominis*. Ut vir sit capax contrahendi matrimonium debet ex seipso afferre omnia elementa, quae, e sua parte virili requiruntur in actu sexuali, signanter semen testiculare, concurrentibus sic testiculis cum activitate quam ex dispositione naturae exercere debent in coitu apto ad novam vitam, quatenus haec pendet praecise ab activitate coeundi. Sed cum impotentia debeat esse dignoscibilis mediis *ordinariis* (non v. gr. investigationibus chemicis vel microscopicis), sequitur praesentiam nemaspermatum non pertinere ad essentiam actus coniugalis.

Nec quis *obiciat* hunc actum sine illo elemento reddi *inefficacem suo fini*; nam obiectum contractus matrimonialis *non est proles* procreanda *sed ius in actus* per se aptos ad eius procreationem. Ad quod ex parte viri testiculis (saltem uno) et canalibus deferentibus praediti, non requiruntur nisi erectio membri, penetratio vaginae, effusio seminis in eam. Si semen in aliquo casu, sub his conditionibus, *per accidens* sit *azoospermaticus*, casus erit censendus sterilitatis, non impotentiae.

Ad finem sic *expositionem resumit*: "Ex dictis iam patet, quando in viro verificatur impotentia ob defectum veri seminis. Hoc enim ex *duplici fonte* oriri potest: siquidem aut testiculi semen producere non valent, aut semen in testiculis elaboratum ad extra exire nequit. Primum accidit si testiculi vel a nativitate adeo insufficienter evoluti sunt, ut semen producere nequant, vel si post normalem evolutionem, ob morbum venereum orchitis, in tali gradu atrophia affecti sunt, ut totaliter incapaces evadant ad semen producendum; alterum vero, quando canaliculi epididymi vel ceteri canales deferentes, ob epididymitem vel alium morbum in eo gradu obstructi sunt, ut semen in testiculis elaboratum ad extra exire non possit" (41).

His positis, in sententia diei 25-IV-1941 turnus Rotae decernebat in casu allato non constare de nullitate, neque constare de inconsummatione, cum non pateret "quod vir saltem a prima die vitae coniugalis usque ad definitivam separationem coniugum caruerit hoc semine". Accepta autem facultate ad examen de hoc ultimo puncto instituendum, in sententia diei 30-XI-1943 coram Garazioli agnita fuit inconsummatio matrimonii, non obstante quod "vir vaginam uxoris penetrare potuerit et *de facto saepius penetraverit*"; defecerat enim verum semen in testiculis elaboratum toto tempore vitae communiter actae cum uxore. Hac sententia prola-

(41) Cfr. "Periodica de re morali, canonica, liturgica", XXIII (1944), 212-213.

ta, Summus Pontifex petitam dispensationem super rato (die 10-XII-1943) concessit, "vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta apostolica Sede" (42).

2.^o *Species facti*: Camillus, viduus, qui in primo matrimonio nullam prolem procrearat, novas nuptias iniit cum Augusta, quam iam antea virginitatem amisisse animadvertit. Cum deinceps Augusta gravida apparuisset, vir id miratus, quippe qui propter bilateralem epididymitum antiquam sese incapacem ad generandum putabat adiit medicum ab eoque confirmationem persistentis suae absolutae incapacitatis ad procreandum accepit. Tunc Augusta manifestare debuit fornicarias relationes durantibus sponsalibus habitas. Quo audito, Camillus separationem civilem obtinuit, Augusta autem matrimonii nullitatem accusavit ob impotentiam viri. Curia dioeciesana sententiam tulit votis actricis contrariam, quam turnus S. Rotae ad quem fuit appellatum infirmavit. Appellante tunc defensore vinculi, sequens turnus priorem sententiam rotalem confirmavit.

In iure. Cum hoc praecise esset in quaestione, an impotens dicendus esset vir cuius semen testiculare in vaginam mulieris eiaculari nequit propter obstructionem epididymorum vel canalium deferentium, quaestio denuo proponebatur de necessitate seminis in testiculis elaborati ad consuetudinem potentiam virilem. Tribunal dioecesanum *negaverat necessitatem* ex infundatis considerationibus quae ab altero turno rotali refelluntur. Primus turnus rotalis *eam affirmavit* "secundum constantem iurisprudentiam rotalem". Res in tertia instantia novo examini subiciebatur.

In hac quaestione non defuerunt qui, ab uniformi doctrina recedentes, falso iudicaverint impotentes viros in quorum semine *deficiunt nemaspermata* aut tantum *mortua* vel *languescencia* adsunt. Aliunde cum praecipitanter asseratur ex placitis quorundam recentiorum physiologorum testiculos *nonnisi zoospermata* elaborare, ideoque semen azoospermaticum non esse testiculare, cumque pariter obiciatur frustra exigi semen quod necessario infecundum erit, non defuerunt alii—inter quos iudices primae instantiae—, qui nihil requisierint ex parte viri praeter capacitatem *copulae perfectae* seu *plene satiativae* appetitus sexualis, absque emissionem veri seminis testicularis quae potius pertineat ad opus *naturae*. Hoc ideo etiam fecerunt quod ex traditionali doctrina "*gravata* atque sat periculosa consecraria" sequerentur, in supposito nempe eorum falso quod semen verum sit necessario semen nemaspermatibus praeditum.

Contra has opiniones iurisprudentia rotalis *exponit veram doctrinam*,

(42) Cfr. "Periodica", I. c., pp. 200-215.

difficultatibus satisfacit, ac consequenter tenet ad copulam perfectam statuendam non requiri nisi "ut vir praeditus sit testiculis qui, neque difformes neque atrophizati, semen elaborare possint, et ut habeat canales communicantes pervios per quos semen ad extra eiaculari possit". *Fundatur* haec iurisprudencia in argumentis quibus in praecedentibus refellerat falsas considerationes tribunalis primae instantiae, quin ullo modo infirmetur per rescriptum quod proferunt S. Officii, et e contra maximum fulcimen capiat ex ratione agendi Summorum Pontificum quando dispensant super rato non consummato.

Itaque cum *in facto* quoque constet multiplicibus peritiis et argumentis "virum conventum ob plenam occlusionem epididymorum, eamque antecedentem matrimonio impugnato atque insanabilem seu perpetuam, laborare ea impotentia quae "ipso naturae iure matrimonium dirimit" (can. 1.068, § 1), auditores de turno decernunt et definitive sententiant "*constare de matrimonii nullitate, in casu, vetito viro transitu ad alias nuptias*" (43).

Determinationes impotentiae ob defectum veri seminis, quas ad litteram transcripsimus superius ex ipsis sententiis rotalibus, nihil quidem dicunt de impossibilitate emittendi verum semen *propter ligaturam vel resectionem* utriusque canalis deferentis; sed secundum principia allata concludenda esset pariter in casu impotentia viri, quatenus demonstraretur talem virum sic fuisse irreparabiliter sterilizatum; ei quippe similiter applicantur omnes considerationes et rationes ex quibus plena occlusio epididymorum vel irreparabilis obstructio canalium semen deferentium dicitur causare impotentiam naturalem matrimonii.

2) EX RATIONE AGENDI ROMANORUM PONTIFICUM: Romanae Rotae iurisprudencia, in causa *Romana* et in altera ista sententia recentissima quam retulimus de novo confirmata, eo graviolem praestat vim sententiae de impotentia vasetomiatorum, ut iam alibi monuimus, quod ex can. 1.014 matrimonii iam *contracti* valor sustinendus est in causa dubia donec contrarium probetur, et ex can. 1.068, § 2, matrimonium *contrahendum* nequit impediri ratione impotentiae dubiae. Iam vero, nisi quis audeat sustinere oppositionem vigere in Ecclesia inter potestatem iudiciariam ipsius S. Sedis et regimen canonicum matrimoniorum, admittat oportet *virum vasetomia duplici totali certo irreparabili laborantem, vere esse impotentem*, quia talis certo certius declarabitur, si res ad tribunalia ecclesiastica, signanter ad Romanam Rotam, deferatur.

Huc accedit validissima ratio petita ex confirmatione istius iurispru-

(43) Cfr. "Periodica", XXXV (1946), 5-28.

dentiae per actus *personales* Romani Pontificis. In sex enim saltem causis in quibus Rota non ausa est pronuntiare nullitatem matrimonii, quia de impossibilitate *perpetua* emittendi verum semen in testiculis elaboratum non constaret, bis saltem (22-V-1931 et 23-X-1936) Pius XI, quater vero Pius XII (26-IV et 13-XII-1940, 12-XII-1941, 10-XII-1943) *dispensaverunt* ad cautelam *super rato non consummato*, ex quo Rota sententiam tulit quod toto tempore quo consuetudo vitae coniugalis locum habuit, vir fuerit incapax emittendi semen in testiculis elaboratum, copula ceteroquin saepius normaliter peracta (44).

Quae Summorum Pontificum agendi ratio peremptorium suppeditare videtur argumentum ut pro certo habeamus impedimentum impotentiae consistere in incapacitate emittendi naturali modo et immediate in vaginam mulieris verum semen, id est, in testiculis elaboratum. Vir qui hac incapacitate laboravit durante tota vita matrimoniali, certo matrimonium non consummavit. Sine tali enim certitudine Romani Pontifices nunquam processissent ad dispensationem impertiendam.

Sic, ergo, *indirecte confirmatur* a suprema potestate ecclesiastica certitudo sententiae asserentis vero impedimento naturali impotentiae detineri viros perpetuo incapaces emittendi semen in testiculis elaboratum. Sentit hoc ipsa Rotà, quae in sustentationem suae iurisprudentiae addidit in ultima causa "aliquod factum maximi momenti, ad quod Iudices primi gradus animum non adverterunt. Ipsi enim *Summi Pontifices* matrimonium considerarunt ratum et non consummatum ideoque dispensationem super eo consenserunt quoties S. Rota Eis subiecit aliquem casum, in quo vir penetraverat quidem vas femineum, sed non potuerat ibi effundere verum semen, sive quia testiculi plene et insanabiliter atrophizati inveniebantur, sive quia canales semen deferentes omnino et irreparabiliter obstructi erant" (45).

Quis forte proferat *rescriptum* quod ante decennium dimanaverit a S. Officio de norma servanda in ordine ad matrimonium virorum qui vasectomiam passi fuerint. Illud, ut "nonnullis episcopis Germaniae datum", allegaverunt iudices primae instantiae in ultima causa relata, et de responsione "verbis data Vicario Coloniensi" locuti sunt Patres prioris turni ro-

(44) Ultimo tricennio (ab anno 1914) S. Rota sententiam tulit in quadraginta circiter causis impotentiae viri "ob incapacitatem emittendi semen testiculare". Tribus supra viginti vicibus admisit nullitatem matrimonii; quindecies edixit non constare de nullitate; sexies vero, cum non constaret de impotentia, examinato et approbato facto non consummationis consuluit Ssmo. de dispensatione, *non obstante congressu carnali* secundum externam speciem saepius in unoquoque casu exorcito. Et Summus Pontifex *de facto dispensavit super rato non consummato*. Cfr. "Periodica", XXIII (1944), 170 nota et 216-17.

(45) Cfr. "Periodica", XXV (1946), 19.

talís. Iudices posterioris turni attestantur notitiam epistolae circularis ab Episcopo Aquisgranensi anno 1935, aliis Germaniae Ordinariis, missae. in quae continetur dubium aliquod S. Officio propositum et Responso ab hac Suprema S. Congregatione data.

At vero hoc *nullam creat difficultatem*. Etenim S. Officium potuit rēsonsum *practicum* dare, ut alias saepe, “matrimonium vasectomiarum non esse impediendum”, quia eorum impotentia perpetua dubia sit dubio *facti*. Quod eo verisimilius est sic accidisse, quod publice constabat controversia inter doctores rei chirurgicae, aliis asserentibus aliis negantibus *redintegrabilitatem* communicationis ductuum deferentium post peractam vasectomiam, aliis etiam sibi gloriam repetentibus ob *redintegrationem* revera *peractam* (46). Quodsi quis urgeat difficultatem, attestans quaestionem propositam fuisse S. Officio super vasectomia bilateralis, totalis, ex dictamine medicorum praecise *irreparabili*, respondebimus S. Officium, pro sua summa prudentia, potuisse attendere dictamen aliorum medicorum contrarium opinantium, potissimum si casus sterilizationis considerabantur prout in Germania tunc temporis fiebant, *ligando* ductum deferentem prope epididymum, quin absolute excluderetur restitutio ductus pervii, etiam spontanea in casu non bene peractae ligationis.

Haec, quae proprio iudicio cogitabamus in responsum contra obiectionem, auctoritative confirmata et amplificata videmus in causa ultimo loco iudicata apud S. Rotam, in qua haec legimus: “S. Officium consulto abstinuit a responsione danda ad quaestionem *iuris*, an ad contrahendum matrimonium admitti possit vir, qui subiit vasectomiam bilateralem, totalem et irreparabilem, sed simpliciter declaravit, in casu sic dictae sterilizationis (quocumque modo haec fiat, sive per aliquam vasectomiam sive per aliam operationem) iniqua lege impositae, matrimonium non esse impediendum, ad mentem § 2 can. 1.068, idest si adsit dubium *facti* de perfecta et insanaibili impotentia” (47).

(46) Redintegrabilitatis saltem difficultatem omnes quidem fatentur, cum diametrum cavitatis canalís deferentis vix pertingat millimetrum vel etiam dimidium millimetri. Tamen sunt auctores qui, innixi testimoniis quorundam doctorum, asserant redintegrabilitatem (cfr. verbigraffa F. CAPPELLO, *De matrimonio*, I (Taurini, 1923), p. 417, n. 378; J. GARCÍA F. BAYÓN, *Tratatus canonico-moralis de sacramento matrimonii*, I (Madrid, s. a.), p. 96, n. 250). Immo, redintegrationem a se undevices peractam in canibus et felibus asserit A. GEMELLI in “La Scuola Cattolica”, XXI (1911), 396-397, 425; in homine quoque feliciter obtentam a Dr. E. Martin asserit Dr. A. O'MALLEY in “Ecclesiastical Review”, XLV (1911), 720-721; at ex eiusdem E. Martin testimonio in 60 % casuum in quibus ipse tentavit redintegrationem *post evididumilim* (casum notabilissimam faciliorem) felicem exitum non obtinuit. Unde pro actuali statu scientiae chirurgicae vix haberi poterit possibilis redintegratio. Animadvertere iuvat redintegrationem obtentam per media aut *illicita* aut *periculum vitae* inducentia non admitti in casu ut impotentia dicatur *non-perpetua*; itemque de redintegratione forte obtenta comprobationem habendam esse mediis licitis dumtaxat.

(47) Cfr. “Periodica”, l. c. in nota 45, pp. 17 et 18.

3) EX AUCTORITATE THEOLOGORUM ET CANONISTARUM. Longa theologorum et canonistarum traditio impedimentum impotentiae ex parte viri reposuit in eo quod is non possit penetrare vaginam feminae in eaque naturali modo effundere semen *verum*. Haec assertio, quatenus respicit tempus quod intercessit inter *Motu proprio* Sixti V *Cum frequenter* (22-VI-1587) et nostrum saeculum, haud difficulter admittitur generatim ab auctoribus ideoque sufficet in exemplum adducere unum alterumve testimonium desumptum ex praestantioribus de hac re scriptoribus.

Th. SANCHEZ in classico tractatu *De sancto matrimonii sacramento* docet: “ad valorem matrimonii non satis est potentia vas femineum penetrandi, sed desideratur potentia seminandi intra illud; quare potens coire, impotens tamen perpetuo ad semen emittendum in vas... est incapax matrimonii... quia de ratione matrimonii est traditio potestatis corporis ad copulam coniugalem. At non reputatur copula coniugalis deficiente *semine*. Coitus enim solum est via ad actum coniugalem perficiendum” (I. VII. disp. 92, n. 7).

Hoc autem semen, ex mente P. SANCHEZ, debet esse *verum*; nam, expositis sententiis quae asserunt valida esse matrimonia eunuchorum dummodo possint coire, aut saltem “aliquale semen emittere, quamvis ad generationem ineptum”, sequitur: “Sed indubitata sententia est eunuchos... esse matrimonii incapaces, ac proinde irritum esse matrimonium quod inierint. Quia ad matrimonii veritatem desideratur potentia *verum semen* intra vas femineum emittendi...” (ib., n. 17), “... quod matrimonii contractus essentialiter consistat in mutua obligatione ad copulam perfectam, *suapte natura aptam* ad prolis generationem...” (ib., n. 28), absque dubio actus coniugalis rite positus is erit in quo vir et femina fiant una caro; iam vero “non efficiuntur una caro nisi per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem” (ip., disp. 64, n. 8).

PONCE DE LEON, qui in colligendis spicis a magno messore SANCHEZ relictis, ut ipse ait, illum tamen saepe impugnat, in hac re eidem apprime consonat cum universali opinione: “Nom... est potentia coeundi, nisi emitti etiam possit *verum semen*... Impotentiam ergo coeundi voco, impotentiam *vere seminandi* intra femineum vas, sive sit semen sua natura *sterile*, sive *fecundum*, ratione cuius seminationis fiant una caro” (48).

(48) *De sacramento matrimonii*, I. VII, cap. 60, n. 3 (ed. Lugdun, 1640, pp. 441-442). Cfr. quoque REIFFENSTUEL, *Ius can. univ.*, I. IV, tit. XV, n. 2 (ed. Vives, 1868, t. V, p. 473); E. PIRHING, *Ius canonicum*, I. IV, tit. XV, nn. 1 et 3 (ed. Venet. 1759, IV, pp. 80-81); P. LAYE, *Ius canonicum*, I. IV, tit. XV, nn. 1 et 3 (ed. Venet., 1759, IV, pp. 80-81); P. LAY-etcétera, in quibus recurrit expressio *copula perfecta* cum effusione seminis.—V. PICHLER.

Obici quidem potest plurimos theologos non egisse expresse, saltem ante Sixtum V, de *vero* semine in testiculis elaborato; immo, potius intellexisse seminationem *quamlibet*, secundum speciem externam perfectam et appetitus venerei satiativam, quin attenderint utrum in illo semine continerentur nemaspermata necne. Fatemur quidem plura theologorum et canonistarum testimonia, *verbotenus*, posse hoc modo intelligi; at negamus in hac interpretatione verisimiliter exhiberi illorum genuinam conceptionem. Etenim vix credi potest Sixtum V ita locutum fuisse in suo *Motu proprio* ut sententiam huic opinioni contrariam saltem sine ulla reprobatione retulerit, immo implicite approbaverit, et ex ea sic relata et approbata ansam et quamdam necessitatem moralem creaverit conceptum impotentiae virilis trasformandi, ut KNECHT putat evenisse (49).

Auctores optimae notae et magnae auctoritatis, ut TH. SANCHEZ, expresse sustinent Summum Pontificem in sua decisione traditionalem et certam doctrinam sustentasse (50); veteres auctores semen intellexisse illud verum quod eunuchi non habent nimirum testiculare, non vero illum "humorem forsam quendam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum", de quo Sixtus V in memorato *Motu proprio*, eo magis quod ad finem primarium matrimonii admodum erant intenti. Semen quidem, nisi quid ulterius addatur, obvium intelligendum est *testiculare*, et illud intelligebant absque dubio auctores antiqui, qui nihil sciebant de orchitide aut de vasectomia, et solum poterant disputare de impotentia viri ex incapacitate coeundi et ex castratione vel anorchidia. Et revera, si credamus P. Sanchez, in casu castratorum *aliqui* putaverunt eos potentes dummodo possent "*aliquale semen* emittere, quamvis ad genera-

Summa iurisprudentiae sacrae, I, IV, tit. XV, nn. 1-2 (ed. Aug-Vindel, 1758, p. 817); S. GIRIBALDI, *Opera moralia, de matrimonio*, cap. 16, dub. 3, nn. 18-19 (ed. Bonon, 1758, III, p. 1.216); S. ALPHONSUM, *Theologia moralis*, I, VI, tract. VI, n. 1.095 (ed. Gaudé, 1912, IV, p. 225), in quibus agitur de copula *per se, in se, suapte natura* apta ad generationem, secundum diversas formulas quibus Sanchez vidimus exprimentem suam doctrinam.

(49) "Die Kanonistik griff glerig nach dem dargebotenen entscheidenden Merkmal zur Bildung eines neuen festem Begriffes des körperlichen Unvermögens. Sie war ja schon längst unbefriedigt von dem Begriff der Geschlechtsverbindung als einer rein äusserlich-physisch-mechanischen geschlechtlichen Vereinigung... [Jetzt] wurde bei der Behandlung der Geschlechtsgemeinschaft das Hauptgewicht auf die *seminatio* gelegt, die Formel von der *copula perfecta* sive *de se ad proles generationem apta* geprägt, und in dem Unvermögen hierzu das Wesen der Impotentia corporalis erblickt". *Handbuch des katholischen Eherechtes*, Freiburg in Br., 1928, pp. 356-357.

(50) ... "Sixtus V in eo *Motu proprio* nihil novum statuerit, sed solum ius antiquum et naturale declaravit ut constat ex illis verbis: *autoritate nostra declares*. Item quia non sola matrimonia in posterum contrahenda irritavit, sed etiam iam contracta, quod Pontificem non posse facere constat, si valida fuerant. Quare mens Pontificis fuit declarare attento omni iure matrimonium eunuchorum esse irritum, ac eos semper fuisse matrimonii incapaces, utpote qui verum semen emittere non possunt". *O. c.*, I, VII, disp. 92, n. 18.

(51) Respective in *Medic. past.*, III, pp. 86-114, nn. 513-533; "Ephem. Theol. lov.", IX (1932), 29-36; *Theol. moral.*, IV³ (Romae, 1933), pp. 38-46, nn. 46-49.

tionem ineptum”; at vero eorum opinio *singularis* habebatur et falsa, et contraria sententia indubitata erat pro Sanchez (*l. c.* in nota 50, n. 17).

Ad testimonia allata v. gr. ab ANTONELLI, AREND, VERMEERSCH (51), breviter respondemus *obscuriora per magis clara oportere illustrari*, ideoque ab auctoribus antiquis, qui ideam ad summum confusam habere potuerint de possibilitate impotentiae physiologicae in viro secundum externam speciem coire valente, non licet expetere conceptus praecisos, quibus *expresse* agatur de semine vero. Et re quidem vera testimonia allata, fere omnia, in qua parte adversariis nostris favere videntur, solum attendunt, ut putamus, ad non denegandam impotentiam *sterilium*; —vix est unum alterumve quod in nostram sententiam queat aliquam difficultatem movere (Navarro scilicet et S. Bonaventura, quatenus loquuntur de “natura vel arte sterilibus”); —ex interpretatione auctorum qui inmediate eis successerunt et mentem ipsorum melius perspicere potuerunt, revera idem sentiebant quod a Sixto V expressius declaratur, paucis omnino exceptis (52). de quorum singularitate adhuc posset disputari; —mirum est inter auctoritates pro sua sententia vindicatas adversarios nostros producere nomina SANCHEZ, LAYMANN, SCHMALZGRÜBER, S. ALPHONSUM, cum de contraria mente istorum Doctorum aperte constet ex aliis locutionibus non ambiguis, et vix credi liceat eos potuisse sustinere sententiam ipsis attributam quin explicarent eandem non offendere *Motu proprio* Sixti V.

Revera qui sine praeiudicio legat istos auctores, sciens eos attentos esse ad salvandam potentiam sterilium et ignaros progressuum scientiae physiologicae posterioris, valde rationabiliter interpretabitur textus eorum secundum nostram sententiam. Sic v. gr., si TANCREDUS dicat: “matrimonium fi *aut* causa suscipiendi prolis *aut* causa incontinentiae. Impossibilitas coeundi utramque causam removet” (53), quis probet eum in hac sententia conscribenda cogitasse de copula secundum speciem externam completa etiam sine *vero* semine, et non solum de copula quae vel a senibus potest peragi? Participabimus ergo criterium illorum doctorum qui istis testimoniis minime moti fuerunt ad opinionem suam mutandam.

Postquam controversiam exorta est ad casum concretum vasectomiae applicata, plenique doctores tenuerunt doctrinam dictam traditionalem, negantes veram probabilitatem opinioni quae sustinet potentiam vasecto-

(52) Cfr. v. gr. apud Th. SANCHEZ, o. c., l. VII, d. 92, n. 16.

(53) *Summa matrimonii*, tit. 30, 12 (ad OJETTI citata). AREND (*l. c.*, p. 34) invocat, inter alios, HOSTIENSEM, iuxta quem potens est femina “si cognoscibilis sit quocumque modo, *quavis concipere non possit*, ut in lectum mingat vel mortuum pariat...” Sed quid inde? Nonne in eo ipso supponitur virum seminasse *verum semen*? Etiam plura alia testimonia aperte nutant.

miatorum. Sic v. gr., ut aliquos ex notioribus et gravioribus proferam, Excmus. D. L. A. MUÑOYERRO, cuius haec sunt verba: “el *carecer* de semen y no poderlo comunicar son términos substancialmente equivalentes Por esta razón se ha de estimar como impotentes a los que han sufrido *vasectomía doble...*, mientras no se pruebe que puede obtenerse la restauración por medios no gravemente peligrosos (54); —sic A. DE SMET, qui inter causas quae importarent impotentiam apud virum resolute ponit resectionem “utriusque canalis deferentis per vasectomiam” (55); —sic B. H. MERKELBACH, qui expositionem suam hoc pacto absolvit: “Apud vasectomiatos... natura actus pervertitur, eiusque ordo ad generationem radicaliter tollitur. Ita tenet sententia hucusque per plura saecula communis, nec nova videtur solide probabilis” (56); —sic VIDAL-AGUIRRE: “eum qui duplicem vasectomiam passus est, censemus omnino *impotentem* et *inhabilem* ad matrimonium, quippe omnino aequiparandum eunuchoo...” (57); —sic Th. M. VLAMING: “Inde autem (ex effectibus vasectomia) merito inferunt viros de quibus agitur, esse coeundi incapaces, siquidem qui nihil emittit elaboratum ab ipsis testiculis... est certe impotens... (58); —sic de BECKER, CHELODI ESCHBACH, J. B. FERRERES, P. GASPARRI, G. PAYEN, A. TANQUEREY, L. WOUTERS, alii quorum catalogum conficere longum esset.

4) EX PARITATE CUM EUNUCHIS ad mentem plurium theologorum. Fama celebratum est *Motu proprio* Sixti V *Cum frequenter* (27-VI-1587) ad Nuntium S. Sedis in Hispania datum, de eunuchis et spadonibus utroque teste carentibus, ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabilibus auctoritate apostolica declarandis, ac de matrimoniis sic de facto contractis, eadem auctoritate nullis, irritis et invalidis decernendis (59).

In eo duae sunt partes, ut fieri solet, altera *expositiva*, in qua R. Pontifex resumit quae a suo Hispaniarum Nuntio relata fuerant; altera *dispositiva*, in qua novis argumentis prolatis decisio mox indicanda praescribitur. Summus Pontifex non fundat *directe* declarationem nullitatis matrimoniorum huiusmodi in eo quod “certum et manifestum est eos verum semen emittere non posse... [sed] humorem forsitan quendam similem semini licet ad generationem et *ad matrimonii causam minime aptum*”; nam haec verba partis narrativae—ut bene notaverunt G. AREND et F. MAYER, appro-

(54) *Moral médica en los sacramentos de la Iglesia* (Madrid, 1941), p. 160, n. 111.

(55) *De sponsalibus et matrimonio* (Brugis, 1927), p. 479, n. 550.

(56) *Summa Theologiae moralis*, III (Brugis, 1940), p. 885, n. 877, C.

(57) *Ius canonicum*, V (Romae, 1946), p. 288, n. 233.

(58) *Praelectiones turis matrimonii*, I (Bussum, 1919), p. 241, n. 268 bis.

(59) Cfr. P. GASPARRI, *Fontes turis canonici*, I (Romae, 1926), p. 298, n. 161.

batque PH. AGUIRRE—, referunt rationes in Hispania invocari solitas ad sustinendam eunuchorum impotentiam. Fundamentum duplex impotentiae quod in parte *dispositiva* exhibetur ad mentem R. Pontificis, reponitur in eo quod eunuchi et spadones, quanquam “se potentes ad coeundum *iactant*”, satagentes “turpes huiusmodi conmixtiones *affectare*”, reapse “secundum canonicas sanctiones et naturae rationem... *frigidae naturae sunt et impotentes*”; —insuper “ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis *nulla utilitas* provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur...” Hoc quidem verum est; attamen negare vix licebit quod Summus Pontifex, accurate exscribens rationes ab aliis allegatas, easdem *implicite approbat* et confirmat, eo magis quod nec minimum iudicium animadversionis in eas ostendit.

Igitur despectui mandari non potest propositio syllogistica maior pre-mens nostram sententiam sic: impotentes illi dicendi sunt de quibus “certum ac manifestum est eos *verum semen* emittere non posse... ad generationem et *ad matrimonii causam minime aptum*”. Ea enim fundatur non solum in ratione intrinseca in alio argumento alleganda, sed etiam *implicite ut minimum* in documento Sixti V, et *explicite* in opinione fere unanimi doctorum qui ab eo tempore ad nostrum scripserunt, impotentiam eunuchorum tribuentes potissimum isti defectui *veri seminis*, non autem incapacitati ad copulam *satiativam*, quam nimis aequo extollunt Vermeersch, Arend, Viglino et qui eorum opinioni adscribuntur. Ceterum, attestantibus medicis, recenter castrati in pubertate, per tempus plus minus longum capaces sunt copulae secundum externam speciem naturali modo peractae, ideoque plene *satiativae*. Audentne dicere adversarii, iuxta ipsorum conceptum de copula perfecta, istos eunuchos *perpetua* impotentia laborare, qualis ad impotentiae impedimentum, iuris naturalis, requiritur? Quodsi hi saltem impotentes dici nequeant, quo pacto Summus Pontifex eorum coniugia non solum contrahenda sed *etiam iam contracta* nulla et irrita declaravit?

Age vero, in ordine ad fecundabilitatem et ad rationem veri seminis pari modo se habet secretio eunuchi et secretio vasectomiati; in primo quidem quia, cum desint testiculi elaborantes, deficit plane et radicaliter semen; in altero autem quia semen segregari ad extra nequit (60), abrupta communicatione inter testiculos ipsos et organum eiaculationis. Igitur, si

(60) *Experientia teste, ex dictamine medicorum, una vel altera copula brevi post vasectomiam peractam potest esse fecunda, transmissis in ea ad organismum feminae zoospermatis quae sive in vesiculis seminalibus sive alibi in ductu deferente inventirentur tempore vasectomiae peractae. Iorio (Theologia moralis, III, Neapoli, 1940, p. 713, nota, n. 1.176) quaerit: “quid igitur si in tali casu matrimonium contrahant et statim consument? Eritne validum?” Respondendum est matrimonium esse invalidum ob impedimentum iuris naturalis existens*

ille censetur impotens ob defectum secretionis testicularis, secundum opinionem traditionalem, hic quoque talis censendus est ob deficientem seminationem veri seminis. Ad quid requirantur secus testiculi ut vir sit potens, si simul proclametur non nocere potentiae quod sint irreparabiliter separati a ductibus deferentibus? Hoc argumentum complebitur quando sub alio aspectu, statim evolvemus rationem intrinsecam.

Ad argumentum quo fidenter utuntur VERMEERSCH, AREND, et alii, scilicet: eunuchi declarati fuerunt impotentes a Sixto V quia ex eorum coniugiis *nulla utilitas* proveniret (non filii, non remedium concupiscentiae, non qualificatum adiutorium consortii matrimonialis), minime vero tales fuissent iudicati si obtinere potuissent remedium concupiscentiae per copulam *plene satiativam appetitus sexualis*, cuius sunt capaces vasectomiati et in qua sola videatur consistere opus hominis (amandata elaboratione nemaspermatum eorundemque emissionem ad opus naturae) respondemus: Si copula perfecta idem esset atque copula satiativa, finis primarius matrimonii reponeretur in remedio concupiscentiae et huic subordinaretur procreatio prolis, adeo ut etiam sine radicali ordinatione ad prolem posset poni actus coniugalis. Praeterea, viri qui ob specialem condicionem naturae incapaces essent satisfactionis carnalis capiendae, impotentes evaderent ad matrimonium propter incapacitatem ad copulam perfectam!

5) EX NATURA REI. In contractu matrimoniali coniuges tradunt et acceptant ad invicem ius in corpus non quidem ad ipsam generationem prolis (*effectus et finis*), sed utique ad actus per se aptos ad illam (*obiectum contractus*). Iam vero, A) vir vasectomiatus non valet praestare *obiectum* de quo est contractus, *cuius finis primarius* est procreatio prolis, neque B) *ordinate* assequi potest *fines secundarios* ex quibus eius connubium absque *effectu* potiore contractus adhuc posset iustificari. Procedamus per partes in probatione.

Propositionem generalem, in qua designatur *obiectum contractus*, superius ex can. 1.081 retulimus. Revera matrimonium ex intentione naturae et Creatoris *primarie* ordinatur ad propagationem speciei (cfr. can. 1.013, § 1), ut constat ex sensu communi matrimonium considerante secundum tendentiam naturalem ut institutum propagationis generis humani, ex ipsa diversitate sexuum inter contrahentes requisita, ex sacra Scriptura et Magisterio

in viro; scilicet, castratus concurrat ad opus hominis cum organo in congressu carnali actuandis *substantiatiter mutilis et insufficientibus*, nec potuit efficacem consensum praestare de iure perpetuo tradendo et acceptando in actus per se aptos ad prolis generationem. In hoc casu congressus carnalis est *per accidens* generativus; porro, secundum genuinam doctrinam, recitudo in humanis actibus non est secundum ea quae *per accidens* contingunt sed secundum ea quae sunt *per se* (cfr. S. THOMAS, *Contra gentes*, 1. III, cap. 122).

ecclesiastico, quae apertissime nos in hunc sensum fines et esentiales proprietates matrimonii docent. Consequenter, in actibus matrimonialibus adesse debet quaedam *essentialis subordinatio* sub fine primario generandae prolis, in eo reponenda quod ex parte activitatis humanae afferri valeant quae requiruntur et sufficiunt ad generationem; secus enim ponendus esset aliquis alius finis obiectivus proprius matrimonii, primario gradu acindependenti relate ad procreationem, v. gr., remedium concupiscentiae, in quo obtinendo salvaretur institutio matrimonialis absque ordinatione obiectiva primaria ad generationem ex parte copulae. Huc faciunt verba Sixti V: "*secundum naturae rationem* qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur..." licet mutuum verbi gratia adiutorium habere possint ex unione. Aliunde, cum vinculum coniugale non importet ius et obligationem generandi, sed solum praestandi actus qui natura sua et qua tales ad fecundationem ordinentur, sufficit quod nupturientes possint ad invicem exercere actus per se generationi idoneos. in quantum generatio praecise pendet ab activitate coeundi, quin attendantur illa quae in ipsis copulae elementis procreationem possent *per accidens* non possibilitare prout sunt in tali vel tali individuo, puta in sene cuius semen careat zoopermiis.

A) *Quod non possit attingere finem primarium* verum est, non modo si spectemus generationem *in termino* (in quo a muliere excisa non differt vir vasectomiatus), sed etiam ipsum actum matrimonialem *in fieri* (in quo vir mulieri excisae et ipso viro seni inferior est). Nimirum, vasectomiatus concurrit ad actum matrimonialem *cum organo in eo actuandis substantialiter vitiat*, ideoque absolute incapacibus ad copulam ex se aptam ad prolis generationem etiam sub ratione *actionis hominis*, cum deficiente concursu testiculorum vir nequeat ad activitatem coeundi afferre quae natura ei imposuit afferenda ut actus coniugalis, quatenus ab eo pendet, aptus sit ad generationem, deficit nempe semen per se aptum ad prolem procreandam, quod ex dispositione Dei et naturae ad activitatem et in activitate coeundi praestandum est a viro si velit actus matrimoniales debite exercere (61).

Quod non accidit in muliere excisa copiam faciente sui corporis marito. Ea enim, *ex dispositione naturae*, nihil aliud afferre debet ad copulam coniugalem, nisi illud quo satisfaciatur suo officio *mere receptivo* dum opus hominis peragitur, scilicet vaginam quae suscipiat organum virile copulationis

(61) Hac tamen assertionem nolumus quidquam praeludicare sententiae a pluribus auctoribus sustentatae, iuxta quam impotentia *superveniens* matrimonio non reddit certo illicitam copulam in qua aliquale semen non testiculare effundatur.

et semen durante naturali unione corporum ibi depositum. Organa postvaginalia, uterus et ovaria, *nullatenus concurrunt* ad opus hominis neque ullo pacto spectant ad munus quod femina, pro suo sexu, habet in copula praestandum. Haec, quantum ab activitate feminae dependet, eadem omnino ratione praestatur, sive mulier sit excisa sive integra. Si conceptio impossibilis est in muliere excisa, id tribuatur naturae in subsequenti stadio deficiente.

Sed neque accidit in viro sene. Etenim senex, sicut alius quivis vir, dummodo uno saltem testiculo—non difformi vel atrophiato—, et correspondenti ductu deferente sit praeditus (quantum ex peritiis ordinariis erit praesumendum), censi debet et est per se habilis ad eiaculandum verum semen, seu ad *obiectum* contractus implendum, ponendo actus per se aptos et sufficientes ad prolis generationem. Si proles, quae est *effectus* et *finis* contractus, deficiat propter deficientis elementum praecipuum (zoosperma) ad eam procreandam requisitum, id *per accidens* (62) eveniet, et praecedenti defectui *in opere naturae* erit tribuendum.

Sic, ergo, condicio senis praediti apparatu generativo pro sua aetate in essentialibus normali, essentialiter differt a conditione viri cuius testiculi, ex inímutatione traumatica vel ex morbo (puta orchiepididymiti) vel atrophía completa, absolute et perpetuo inepti ostenduntur ad normalem functionem spermiogenerativam. In senibus subsistit—fortasse non continua et certe remissior, sicut generatim omnes functiones quae, debilitato vigore generali et ipsae debilitentur necesse est—, activitas *exocrina* sufficiens ad hoc ut in copula possit eiaculare illas secretiones externas testiculorum ac proinde emittere *verum* semen.

Hoc nunc quidem speciali ratione *de senibus* in dubium revocant, subscribentes *theoriam quorundam physiologorum*, iuxta quam in testiculis *non nisi nemaspermata* elaborantur, accedente demum liquida pars seminis ex aliis glandulis, quando semen progreditur per ductus. Iam vero, si in sene deficient nemaspermata, ut coniciendum putant ex infecunditate ordinaria relationum sexualium senilium, deficit secretio *testicularis quaevis*, ac proinde semen in testiculis elaboratum, nutatque distinctio inter potentiam coeundi et potentiam generandi, a iurisprudencia ecclesiastica ut fundamentum consequentiis gravidum semper considerata.

Huic obiectioni, quae *indirecte* vellet imponere conceptum potentiae a

(62) Sane, *per se* evenit effectus a causa in cuius natura est talem effectum causare; at *effectus per accidens* debet dici respectu causarum in hunc effectum ita influentium non ex natura sua sed propter unionem cum eo ab extrinseco sui. Quando copula, attentis elementis quibus constat, talis ut ex ea possit sequi generatio, dicenda est *per se* apta ad generationem (cfr. P. GASPARRI, *Tract. canon. de matrim.*, I, p. 319, nota).

nobis impugnatum contra VERMEERSCH et suis asseclis, plura suppetunt respondenda :

a) Imprimis, theoria illa sub aspectu scientifico *non est incontroverta*. Praeclari physiologi non pauci contrarium sentiunt (63). Ad summum, ergo, res esset dubia dubio facti; et scimus quid hoc dubium valeat in hac quaestione. Corroboratur etiam alia via dubium facti quod mediis ordinariis removeri nequit, quod sci. dentur viri qui in senili aetate gignant prolem. De nullo autem sene qua tali dici potest a priori incapacem esse ad generandum.

b) Etsi aliquando verum demonstraretur didymos ipsos nullum elementum liquidum sed sola nemaspermata elaborare (vel, quod idem esset ad difficultatem, liquidum tunc solum segregare quando nemaspermata elaborant), et primam substantiam liquidam *in epididymo* accedere ut nemaspermata fiant viabilia, adhuc sermo esset iure merito de semine in testiculis elaborato, nam epididymus unum morale efficit cum didymo, et complexus utriusque venit *in doctrina iuris* (64) nomine testiculi, sicut secretiones externae utriusque veniunt nomine seminis testicularis. Potest, igitur, existere verum semen quod sit aspermaticus (65); a fortiori, quod sit *necrospermaticus*, vel *asthenospermaticus* sine vitalitate sufficienti ut attingat ovium aut illud fecundet; quae sunt totidem causae, nec solae possibiles, ordinariae *sterilitatis* copulae senilis per se aptae ad generationem.

c) Cum impotentia debeat dignosci mediis in vita humana *ordinariis* —ut patet ex argumento in superiore sectione allato, quod matrimonium est institutum naturale pro toto genere humano omnium temporum et regionum, regulandum praeterea ab auctoritate humana—, non ergo ope microscopii vel inquirendo in reactiones chemicas, commune et sanum iudicium humanum non potest exigere in viro concurrente ad actus matrimoniales nisi ut habeat unum saltem testiculum cum correspondente ductu deferente pervio (66).

d) Ceterum aliud est factum *actualis* absentiae nemaspermatum in se-

(63) Cfr. "Periodica", XXXIII (1944), 203-206, ubi iudices rotales proferunt contrarias doctorum in re physiologica sententias, quorum plerique censent liquidum seminale elaborari saltem in epididymis.

(64) Nimirum assumitur *communis* loquendi modus, relicto sensu medico *specifico*. Medicorum quidem est "describere humanum organismum, et singulorum organorum functiones ac relationem ad generationem proli; sed cum... quaeritur... utrum aliquis in organismo defectus secum ferat impotentiam... subintrat auctoritas Ecclesiae..." GASPARRI, o. c. in nota 62, p. 301, nota 1.

(65) In quo falsi sunt Alberti et alii auctores qui influxum exercuerunt in quadam sententia rotali, unica et in nova instantia infirmata, insufficiente ad efformandam iurisprudentiam. Cfr. "Periodica", XXXV (1946), 8-10.

(66) Ad rem GEMELLI, testis in hac quaestione a suspitione immunis: "Infatti se clinicamente il testicolo è integro, se le vie spermatiche sono integre, che cosa può impedire che non vi siano gli spermatozoi nello sperma? La mancanza può essere anche solo temporanea

mine ei aculato, aliud *impotentia habitualis* emittendi nemaspermata. Solus vir qui mediis ordinariis certo detegeretur *habitualmente incapax* ad ei aculanda nemaspermata veniret in quaestionem praesentem. Et adhuc res, sub aspectu quem nunc consideramus, non esset necessario decisa in sensu negativo, ut diximus; nam semen *necessario* infecundum quia *per accidens* deficerent nemaspermata in eo ob defectum aliquem naturae, non ipso facto argueret virum *per se* incapacem ad effundendum verum semen; capacitas esset *praesumenda* in quolibet viro qui, simul cum membro erectibile et valente penetrare vaginam feminae, haberet unum saltem didymum cum correspondente canali deferente pervio, nec incapacitas actualis comprobata elideret habitualementiam, quae sola in disceptationem venit.

B) *Quod fines secundarii attingi possent* in matrimonio vasectomiati ultro concedimus ex dictamine medicorum, et sub hoc aspectu plane admitimus differentiam inter vasectomiatos et eunuchos quam adversarii extollunt. At hoc discrimine libenter concesso, non possumus in ulterioribus amplius hic auctoribus consentire.

Scilicet, fines secundarii matrimonii, nominatim remedium concupiscentiae, quod praesertim in quaestionem venit, obtineri quidem possunt a vasectomiato, sed *nequeunt iustificare matrimonium* independentem a fine primario *unico* (utpote qui causa sit formalis specificativa matrimonii), quasi connubium institutum esset *aut* ad prolem suscipiendam *aut* ad concupiscentiam vitandam, tanquam finem aequae principalem *aut coordinatum* cum prole suscipienda. Nequaquam ita est, ut iam antiqui doctores (67) fere universaliter tradiderunt contra paucos qui medio aevo plus aequo extollebant istum finem matrimonii extraparadisiaci; sed finis primarius, prolis nimirum procreatio, semper intercedat oportet sicut in matrimonio ineundo sic etiam in opere coniugali praestando, et quidem suam conditionem finis primarii exerendo—ideoque alios fines sibi devinciendo et in servitium exerendo—, ad hoc ut qui dicuntur secundarii vere tales sint, fini primario subordinati *essentialiter* (ac proinde semper, ipso facto et ex natura sua), ab eo in sua origine intrinsecus dependentes, eique opem ferentes vel accedentes ut facilius, securius, plenius obtineatur.

Quindi noi abbiamo in questi casi motivi sufficienti per presumere che gli spermatozoi sono contenuti nello sperma. Che se invece i due testicoli sono atrofici, malati, malformati, ecc., noi abbiamo sufficienti dati per sostenere che quell'individuo non produce vero seme". Cfr. "Periodica", XXXIII (1944), 212.

(67) Egregie prae ceteris hanc distinctionem insinuavit E. PIRHING: "Eunuchos... non posse valide contrahere matrimonium... Neque etiam satisfacere possunt fini secundario, qui est remedium concupiscentiae, quia hoc est finis matrimonii habitum [non?] per quamcumque copulam, sed per copulam suapte natura aptam ad generationem" O. c. In nota 48, l. IV, tit. XV, n. 1.

In hunc sensum possumus invocare verba quae Pius XII fecit ad S. Romanam Rotam (I-XI-1942) agens de incapacitate somatica. Nimirum ex duplici conatu infelici in hac quaestione delicata evitando, alter ille est “quo consideratur finis secundarius utpote aequae principalis, eundem solvendo ab essentiali sua sub fine primario subordinatione... Aliis verbis... ne solvatur vel ultra mensuram separetur actus coniugalís a fine primario, ad quem secundum totam structuram suam intrinsecam primaria et principali ratione ordinatur” (68). Verba non quidem decisiva controversiae sed principium statuentia ex quo nostra argumentatio pondus ac robur accipere videtur.

Immo, iudices rotales in causa *Romana* (9-II-1944) coram Wynen illa verba commemorati, sic addunt: “In talem errorem incidere dicendi sunt praeter alios etiam illi qui sustinent ad essentialiam actus matrimonialis sufficere, quod hic actus secundum suam externam speciem naturali modo peragi possit, etiamsi in eo peragendo deficiat unum ex elementis, quae ex parte ipsius activitatis coniugalís omnino necessaria sunt et quorum defectus antecedens et insanabilis iuxta constantem iurisprudentiam S. Rotae hominem reddit ad matrimonium impotentem, si scilicet in eo deest facultas seu potentia effundendi in actu coniugali verum semen id est in testiculís elaboratum, etsi careat spermatozois” (69).

Huc quoque facit Decretum S. Officii de finibus matrimonii (70), reprobans sententiam quorundam recentiorum negantem “*finem primum matrimonii* esse prolis generationem et educationem vel [docentem] *fines secundarios* fini primario *non esse essentialiter subordinatos*, vel esse *aeque principales et independentes*”. Porro ex hoc decreto, ob reiectam aequiparationem finium secundariorum cum primario, remedium concupiscentiae nequit poni in una linea cum prolis generatione, ut specietenus ponerent verba Tancredi supra relata et ab aliquibus sic perperam intellecta. Quod autem speciali in casu nostro attentione dignum est, *dependentia finium secundariorum* a fine primario, quae in decreto stabilitur, implicat eosdem in nullo matrimonio persistere posse, quin natura et ratione prius ponatur finis primarius. Nam sine iure radicali mutuo dato et accepto in corpus alterius coniugis in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem nequit aut dari matrimonium, aut subsistere eius intrinseca ordinatio ad finem primum; proinde neque ipsius matrimonii ad fines secundarios ordinatio. Accedit demum quod *essentialis subordinatio* finium secundariorum sub pri-

(68) Cfr. AAS., 33 (1941), 423.

(69) Cfr. ASS., 36 (1944), 187.

(70) Cfr. AAS., 36 (1944), 103.

mario quae asseritur importat, praeter naturalem *aptitudinem* et *destinationem* ad serviendum utilitati finis primarii in eo respectu sub quo subordinantur, etiam naturalem *submissionem* eorum sub fine primario cui *devinciuntur et serviunt* sive *negative*, nunquam officiendo utilitati et bono eiusdem, sive *positive*, quantum ab ipsis pendet bonum finis primarii suo influxu promovendo. Quae subordinatio non tollitur ex eo quod finalitas intenta non attingatur, immo per accidens nec attingi possit, *dummodo* subiectum gaudeat omnibus elementis essentialibus quibus a natura provisum fuit ad respectivum finem obtinendum.

Finem imposituri, fructum huius expositionis sic breviter colligere possumus:

Impedimentum impotentiae quod matrimonium prohibet attentare, attentatumque ipso iure naturae dirimit, *consistit* in incapacitate *antecedenti*, *certa*, *perpetua*, coeundi effundendo modo naturali, durante coitu, *verum* semen in testiculis elaboratum, sive fecundum sive infecundum, intra vaginam (71) mulieris. Non requiritur ergo potentia generandi, neque officit consequenter mera sterilitas naturalis.

Hinc: 1) *Certo impotentes* habendi sunt: a) *viri eunuchi* et his assimilati v. gr. ob atrophiam completam utriusque testiculi, (*non vero cryptorchidae*, testiculos habentes in cavo abdominis reconditos); — *carentes organo copulationis* aut illud habentes ita vitiose conformatum, ut nequeant naturali modo semen in loco debito effundere (hypospadiā et epispadiā); — laborantes defectu sive organico, sive functionalī, sive psychico, ex quo *nequeunt sexualiter excitari* convenienti modo, sive ex excessu (aphrodisiaci) sive ex defectu (anaphrodisiaci seu frigidi); — qui impotentiam *relativam* ad aliquas personas patiuntur propter disproportionem organorum, obstacula psychica, etc., in ordine ad matrimonium cum iisdem (72); — qui laborant *vasectomia duplici* totali ac *certo irreparabili*.

b) *Feminae carentes* vagina aut eam omnino oclusam (73) habentes

(71) Requiritur aliquam veram penetrationem vaginae gradu saltem imperfecto certum est. Ergo si semen non posset deponi nisi ad os vaginae, haberetur impotentia. Nollimus tamen ex hoc negare omnem probabilitatem sententiae quae tenet matrimonium valide *contractum* consummari si ex tali seminatione *per accidens* sequatur conceptio. Cfr. W-VIDAL-AGUIRRE, *Ius canonicum*, V, pp. 286-287, n. 231. Sacra Rota bis saltem definiit (17. VIII, 1920; 3, VIII, 1921) matrimonium non consummatum fuisse ob merum factum conceptionis.

(72) Abstinemus a iudicio ferendo de matrimonio contracto cum persona *relate* ad quam habeat impotentiam *dubiam*. Plures auctores, ex generalitate verborum can. 1068, § 2 censent tale matrimonium non esse impediendum.

(73) Cogitamus de oclusionē ex parte externa, non ex *parte uteri*. In hoc ultimo casu rectius nobis sentire videntur qui impotentiam negant. Favet quoque huic opinioni responsio supra commemorata Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, decernens non constare neque de nullitate neque de inconsummatione matrimonii mulieris vaginam habentis retroversam ab utero, et hinc existente impossibilitate transitus spermatis a vagina in uterum.

et impenetrabilem; —aut ex hyperaesthesia aliave causa ita *vaginismo affectae* ut sexualem contactum non patiantur; —aut *arctae relative* ad aliquos.

2) *Dubie impotentes* haberi poterunt, saltem interdum, dubio *facti*, vix autem dubio *iuris*, viri vasectomiam duplicem passi, et fortasse progressu chirurgiae obtinebitur remotio istius impotentiae dubiae (74). E contra feminam excisam *theoretice* probabilius est non laborare impotentia dubia dubio *iuris*, ac proinde quaestio dubii *facti* supervacaneae poneretur; *practice* a matrimonio arcenda non est.

QUOAD HERMAPHRODITAS: a) dari qui *tales stricte* sint, etsi rarissimi, ex experientia recenti fortasse admittendum est. Hi, quia utrumque sexum participant, poterunt alterutrum semel pro semper eligere in ordine ad concretum aliquod matrimonium illudque contrahere, quatenus capaces sint actum coniugalem sub tali sexu peragere; b) *hermaproditae mere apparentes* diiudicandi sunt iuxta *verum* sexum et non arcendi a matrimonio si secundum illum certo vel dubie possunt copulam perfectam habere; quodsi sexus *dubius* sit, saepe de impotentia certo constabit; quatenus vero non constat de ea, pauci censent matrimonium eis non esse impediendum.

3) *Ad ipsam praxim quod spectat*, pro actuali rerum statu, videtur tuto permitti a paracho, sine necessitate recursus ad Ordinarium vel ad S. Sedem, matrimonium *feminae* sive utero. sive ovariis, sive utero simul et ovariis privatae, dummodo congregi secus possit naturaliter cum viro. E contra, si agitur de matrimonio *viri* vasectomiam passi, quatenus certo constaret de impossibilitate morali redintegrationis canalium deferentium videtur matrimonium aut simpliciter interdicendum aut saltem non autorizandum sine recursu ad Ordinarium vel ad S. Sedem.

Haec conclusio circa vasectomiatos, consona cum iurisprudencia Rotae Romanae, quemdam rigorem sapere quibusdam forte videbitur, consequentiis gravidum, cum tot sint hodie viri qui huic operationi sive sponte sive dispositione auctoritatis abusive et illicite subiciantur. Censeri quoque potest Ecclesia, ex adverso, nimis benigna in iudicanda situatione mulieris

(74) Insa sacra Rota, referens ex CAPPELLO diversas opiniones circa *redintegrabilitatem* communicationis post vasectomiam, inter testiculos et canales deferentes semen, eius "sana principia nullam testatur passa esse correctionem responso S. Officii a nobis supra commemorato. Porro Cappello asserit virum vasectomiatum "iuxta communitorem sententiam" habendum esse impotentem; impedimentum dirimens aderit "quatenus antecedens sit atque perpetua... quare *iuris* quaestio pendet a quaestione *facti*... Ex dictis *practice*... "S. Officium consulto abstulit a responsione danda ad quaestionem iuris, an ad contrahendum matrimonium admitti possit vir, qui subiit vasectomiam bilateralem, totalem et irreparabilem, sed simpliciter declaravit, in casu sic dictae sterilizationis (quocumque modo haec fiat, sive per aliquam vasectomiam sive per aliam operationem) iniqua lege impositae, matrimonium non esse impediendum, ad mentem § 2 can. 1068, id est si adsit dubium facit de perfecta et insanabili impotentia". Cfr. "Periodica", XXXV (1946), 18.

excisae. At haec differentia et illa severitas petuntur ex visceribus rerum. Potest quidem evenire—et sunt qui hoc bonis rationibus exoptent—, ut Ecclesia constituat impedimentum dirimens pro muliere ex illicita voluntate propria excisa; sed absque illa dispositione impedimentum iuris naturalis non probatur. Quoad virum autem, sive ex propria voluntate sive ex aliena dispositione, licite vel illicite vasetomiatum, stat lex naturae eum, ut putamus, a matrimonio arcens.

Ecclesiam quidem catholicam minime latent consequentiae gravissimae quae ex declarata nullitate horum matrimonium ipsi obveniunt; at zelantissima puritatis doctrinae et sanctitatis morum, non vult impie et abusive indulgere passionibus et degenerationi morum generis humani, ut aliae interdum confessiones religiosas etiam puriores fecerunt. Ex quo gloria ipsi et confirmatio redundat praerogativarum quibus insignita fuit a Christo Domino.

MARCELLINUS ZALBA, S. I.

In Facultate theologica Oniensi Magister